BENEFICIA MIRACULOSA TAM VETERA, QUAM RECENTIA VIRGINIS DEIPARÆ...

Friedrich Förner, Giovanni Battista Coccini

J 326.

BENEFICIA

MIRACVLOSA TAM VETERA, QVAM RECENTIA VIRGINIS DEIPARÆ

VVEYERENSIS IN DITIONE, AC territorio Imperialis Ecclesiæ Bambergensis,

FIDE INTEGRA, VERITATE EXPLORATA, compendiosè descripta, & eidem Augustissimæ Hominum & Angelorum Reginæ votiuo munere dicata & nuncupata,

A Reuerendiss. Domino

FRIDERICO FORNERO, EPISCOPO HEBRONENSI, SVFfraganeo Bambergensi, SS. Theol D, &c.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud IOANNEM KINCHIVM ad intersigne Monocerotis,

ANNO M. DC. XX.

BENEFICIA

MIRACULOSA TAM VETERA, QUAM RECENTIA VIRGINIS DEIPARÆ

VVEYERENSIS IN DITIONE, AC territorio Imperialis Ecclesiæ Bambergensis,

FIDE INTEGRA, VERITATE EXPLORATA, compendiosè descripta, & eidem Augustissimæ Hominum & Angelorum Reginæ votiuo munere dicata & nuncupata,

A Reuerendiss. Domino
FRIDERICO FORNERO, EPISCOPO HEBRONENSI, SUFfraganeo Bambergensi, SS. Theol D. &c.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IOANNEM KINCHIUM ad intersigne Monocerotis,
ANNO M. DC. XX.

SERENISSIMÆ HOMINVM ET ANGELORVM REGINAE, IMPERATRICI TOTIVS VNIVERSI, DOMINAE MVNDI, CREA

turarum omnium Potentissimæ Gubernatrici, Serpentis Antiqui Fortissimæ Calcatrici, Infernalium Potestatum Gloriosissimæ Expugnatrici, omniũ Heresum Victoriosissimæ Interemptrici, Calamitosorum Mortalium & Resipiscentium Peccatorum Singularissimæ Patronæ, & apud Filium Aduocatæ, Augustissimæ Militantis pariter ac Triumphantis Ecclesiæ Heroinæ, Principissæ, ác Dominæ meæ Gratiosissimæ, Dominæ Clementissimæ.

POST IESVM FILIVM, OMNEM GLORIAM, cultum & honorem, in cœlo & in terra, & vniuersa linguæ, cordis, sanguinis, ac vitæ meæ seruitia, vsque ad halitum extremum & vltra, in omnem æternitatem.

SErenissima Domina, Principissa fauentissima, Cùm è dolorosa, defluxionibus noxijs caussata, neruorum ac tendinum in vtroq; brachio contractura iam propè ab hinc biennio diutiusculè affligerer, vt nec manum ori admouere, nec calamum tenere, nec literulam vllam, aut characterem formare possem, Colicis insuper & Calculi atque Arthritidos cruciatibus, ob peccata mea, à Diuina Filij tui Prouidentia paternè castigarer, in spiritu contrito, & corde humiliato ad eundem Deum, ac Dominum meum, Vnigenitum tuũ, quem vt innumerabiliter sæpe, ita & grauiter offendisse, ipsa conscientia suggerente, conuincebar, mentis meæ cogitationes & suspiria illicò sustuli, & ad tuum deinde interpellatum apud eius gratiæ Thronum tutissimam veluti Anchoram confugi,

obnixiſſimè flagitans, vt ſi ego ob tot errata mea, nec numero pauca, nec pondere leuia, indignus iudicarer, cui per meritum ſacratiſſimorum vulnerum ſuorum, in quibus omnis, non ſolū mea, ſed & vniuerſorum in libro vitæ deſcriptorum æterna ſalus, velut in cardine verſatur, poſt tot relapſus denuò placatus clementer ignoſceret, conciliatus benigniſſimè parceret, propitiatus miſericorditer condonaret; id Sereniſſimæ Maieſtati tuæ, Matri longè amatiſſimæ, pro me flagitanti vltrò ſua ſponte annueret, concederet, promptiſſimeque condonaret. Et licèt de Materna tua in me dilectione, quam ab incunabulis in mille malis atque periculis iam pridem efficaciſſimè ſum expertus, minimè dubius, aut anceps hæſitarem; voto tamen Sereniſſimæ Maieſtati tuæ me lubens prudenſq; obſtrinxi, Benefica illa Miracula, ſeu potiùs Miraculoſa Beneficia, quæ Filius tuus interuentu tuo ſub ſacro Nominis tui Titulo ſibi dicato, VVeyerenſi Domicilio, velut in communi Patria, infinitis propè Mortalibus, ærumnis atque cladibus variè afflictis etiamnum hodieque confert, & larga impertit manu, in commētariolos breues redigendi, ac poſterorum memoriæ tranſmittendi; quod quidē adſtipulante gratia, cuius tu diſpenſatrix audis, præſtatu haud difficilè rebar: Nam vt auro aut ebori facilè eſt decus addere, cū materies per ſe niteat: Tale prodigijs hiſce gratiam à ſtilo dare per ſe gratis, & quos afficiunt, mortalibus impendio acceptis, & fructuoſis.

Nec voto, quantum in me erat, deeſſe volui: Nam cùm in Egranenſi oppido, in Bohemiæ finibus, ad Acidulas illiùs loci, & aliquantiſper etiam in Carolinis eiuſdē Regni Thermis ſarciēdæ valetudinis affectæ cauſſa ſubſiſterē, quatuor hoſce Filij tui & tuorum partim, ſiue diuiſim, quà tuam Interceſſionem, & illius collationem, ſiue coniunctim, quà Miſericordiæ Fontem in illo, vt Scaturigine, in te, vt Aquæductu è Paradyſo exeunte, & in nos deriuante communiter tangunt, BENEFICIORVM MIRACVLOSORVM (paucis in fine deinceps ſuperadditis) digeſſi libros, atque vt coràm eſt legere, ſimplici Minerua, & genuinæ rerum fidei propiùs affini elocutionis tela amanuenſi

meo,

meo,cùm officio,& vſu manuum iam pridem deſtitutus eſſem, ad calamum,quod aiunt,oretenus dictaui,& faciliori methodo temporum ordine diſtributa concinnaui: Nec placuit Rhetorū floſculis,aut Oratoriæ lenocinijs adeò ſtupenda Dei opera inaniter conueſtire: ſic nempe ramenta auri è venis ſuis ſinceriora exeunt,quàm à fornace aurificis mixtione,neſcio qua, ſubinde adulterata.

Iucundus hic mihi fluxit labor,ingenuè fateri iuuat,quod res eſt: Amanti enim nihil difficile. Et quid ni, O Clementiſſima Domina, Ser.mam Maieſtatem tuam gratiſſimi Clientis amore quàm ardentiſſimè cōplectar? Munificam adeò Benefactricem, quid ni,vitam & ſanguinem,ſi tuus,ac Dei mei, Filij tui honor, & exiſtimatio id ferat,id exigat, lubētiſſimè expēdendo ac fundendo omni,qua licet,facultate & viribus colerē & venerarer? Et tantò quidē promptiùs,tantò alacriùs,quantò effuſiori alueo tua liberalitas,quoties opus erat,cælitùs porrecta in me profluxit: Nā nec voto ſum fruſtratus,nec ſpe deluſus cùm tuo apud Filij Numen interuentu priſtinam flagitaui ſanitatem.Tametſi enim Medici pariter & Chirurgi parū boni ominis de brachiorum ac manuū mearum perfecta redintegratione nunciarent, quicquid de Thermarum, aut Acidularū vſu alij pollicerentur; nihilominus tamen efficaciter poſteà comperi,me exoptata ſanitate, deſiderato cum voti fructu,integerrimè reſtauratum.

Decebat equidem,Ser.ma Domina, & gratæ mentis officium iure ſuo id exigebat,fateor,vt,ſiquidem Deus, ac Dominus noſter, Ieſus Chriſtus,hæc prodigia,hæc ſigna in candelabro apertę lucis exponit,vt luceant omnibus,qui in domo Eccleſiæ ſanctæ congregantur,nec ſolùm ex hac, veluti certiſſima Miraculorū teſſera & ſymbolo,verùm eius ouile luculentiori euidentia dignoſcatur,ſed & tuus longè lateq; Honor, & Cultus inter mortales propagetur; Ita & ego quoq; votiuo huic muneri meo extremam manum, & colophonem quamprimùm imponerem, publicæq; luci ad vniuerſorum notitiam incunctanter è tenebris eruta,tot noſtri æui miraculoſa veluti ſydera,paſſim inuulgarē: ſed pudor quidam intempeſtiuus, vti exiſtimo, & vere-

cundia, ad Prudentiæ solem non satis percocta, me ab officio aliquantisper absterruerunt, & in hunc diem retraxerunt: Verebar enim res tantas ineleganti, & humi repente, immò neq; satis limato, aut politiùs dedolato stylo conscriptas publicam in Palęstram, inuito Marte pariter atque Minerua incōsultò protrudere, malens Lipsium aliquem, aut Horatium Tursellinum, aut similem literariæ Reipublicæ Choragum & Primipilū, qui & ipse in similis argumenti stadio felicissimo laboris impendio desudasset, hoc oneris & prouincię vice mea subire; cōtentus interim, si me ex hac ad meliorē, Deo benè propitio, vitā emigrare contingeret, quæ ego cōpilauerā, ea Posterorū demū memorię, instar Epitomes, & Syllabi cōpendiosioris loco deseruirēt.

Et aliud suberat tergiuersationis, immo & quotidianæ perēdinationis adminiculum, dixerim potiùs, retractionis calcar, & incitamentum. Mos est omnibus Hæresiarchis nostratibus, & eorum assęclis, genuino antiqui serpentis semini, Excetrę Infernalis pestifero genimini, quæ Deus ad contesserandam veram Ecclesiam suam, veramq; depurati, atque ab omni errore defæcati Euangelij doctrinam contestandam, cumprimis verò ad illustrandā tuam, O Serenissima Regina ac Domina, aliorumque Sanctorum suorum gloriam diuinitùs, & præter naturæ vires designat, Miracula omnia hostiliter allatrare, peruicaciter admordere, atrociter laceratum ire: Quamobrem vt immanem eorum rabiem, Diabolicumq; furorem ab hisce tuis tam luculenter prodigiosis Benefactis arcerē, & quantū in me erat, fideli vtpote seruo & cliente, ac toto miserationū tuarum vasallo obligatissimo, viriliter inhiberem, gnauiterq; profligarem, quin & delira illa, quæ obiectitant crepūdia, elinguarem, huic elucubratiūculę opus aliud adstruere sum aggressus, & libros aliquot PALMAE TRIVMPHALIS MIRACVLORVM ECCLESIAE CATHOLICAE, ET INPRIMIS VVEYERENSIVM tuorū composui, & iam vltimo ferè duntaxat residuo, qui & limam, quam iterata partim infirmitas, partim negotia mea hactenus impediuêre, & amanuensis insuper apographiam expectat, ad fastigium vsque perduxi, quos veluti valla, & propugnacula expu-

gnatu impossibilia Ecclesiæ hostibus obijcerē,& admiranda hęc Beneficia tua cōtra illorū arietationes, & insultus cōmunirem.

Sed ecce,dum votum meum longiusculè protraho, veteris illius,patrocinio tuo medicante,iampridem propulsati morbi, exacto fere biennio,iure postliminij ad me reuersuri nouos anteambulones immittis,& aurē mihi vellicas,vt sim memor Dauidici Oraculi: *Vouete,& reddite Domino Deo vestro,omnes qui in circuitu eius affertis munera: Terribili & ei, qui aufert Spiritum Principum;Terribili apud omnes Reges terræ.* Vt ergo debitæ Religionis onus,cui meos iampridem humeros vltrò subieceram, piè fideliterq́, exonerarem,opusculum hoc meum,cui alterum illud,Filio annuente tuo,è vestigio insistet, Calcographorum typis expressum, Ser.ma Maiestati tuæ nuncupatum ac dedicatū eo, humillimè orans & obtestans, vt cùm ex merito,auspicioq́; tuo,ac debito meo lucem aspiciat,tuo itidem pręsidio atque tutela ab omni maledicarum linguarum virulentia immunitatem indipiscatur.

Munerum,inquit ille,animus est optimus; pernouit Ser.ma Maiestas tua,ô celsissima Regina,quo animo,affectuve in te tota vita mea extiterim,si non inflāmatus,at saltem accensus,& si non re & opere semper, intentione tamen nunquam non ad te erectus,& ex corde animatus. Amplectere igitur hoc meum nō equidem Regale,tua Maiestate dignum,congiariū,sed leuidēse munusculū, cùm dignius aliquid aut præstantius à vilitate mea in te,tam sublimem Principissam,conferri nō possit,& illud cōtra lupina Zoilorum œstra, cū soli Filij tui,ac tuo honori militet, Dauidicæ Turris propugnaculis,& mille clypeis, omniq́; armatura fortium solerter & inuincibiliter tuere, defende,conserua,& Filij tui,ac tuo etiam honori glorięque exaugendis impende & expende.

Quod superest,ô humillima Domini Dei Ancilla & Filia, O sublimissima pariter IESV CHRISTI Theotocos; spōsa Spiritus sancti;Templum Sacrosanctæ Trinitatis; inter omnes creaturas præcipuè Benedicta,Virgo MARIA; Misericordiæ & Pietatis Mater; Paradysus delitiarum; Tabernaculum Pacis; Sanctuarium Dei; Porta Cœli;Fenestra Paradysi; Altare suauitatis,

Specu-

Speculum Pudicitiæ; Hortus conclusus; Puteus abundans gratia; Vellus Gedeonis; Salomonis eburneus, & auro gemmisque collucens Thronus; amplissimum Virgineæ puritatis receptaculum; fauus dulcissimus, mella benignitatis in nos largissimè cœlitus distillans; Gloriæ Diuinę Sedes magnificētissima; Stella lucidissima; Rosa odoratissima; Lilium candidissimū; salus gratissima Infirmorum; Refugium Peccatorum tutissimum; Auxilium Christianorum præsentissimum; Consolatrix omnium afflictorum suauissima, omni mansuetudine liberalissimaque Magnificentia percelebris, & insignis, totius humani generis Amatrix Zelosissima; Illud à Serenissima Maiestate tua supplex, & genua cordis mei ad Filium tuum flectens, rogo, & maiorem in modum contendo, vt cùm in omni vita mea sub singulari Patrocinio tuo me semper foueris, protexeris, ab innumeris tum corporis, tum animi incōmodis eripueris, sartum, tectum, liberum seruâris; Ita sub extrema huius vitæ periodo singulari fauore tuo mihi succurras, peccatricem animulam meam à Dæmonum infestatione cōmunias, & sic ad transitum disponas, vt omnibus huius vitæ fragilitatibus, statutis ad hoc à Filio tuo Mysterijs, ac Sacramentis ritè atque integrè expiatis, iucūdam à Filio tuo, Iudice meo, sententiā accipientem, è corporis ergastulo feliciter euocatā, & comitatu tuo defensam, toties, vt nosti, per te abs me flagitata huius vitæ clausula, ad cœlestis Paradysi gaudia in virtute ac merito sacratissimorum Filij tui vulnerum iocundè perducas; vbi eum vnà tecum Beatorum Ciuium Municipio adscriptus, æternādo benedicam atque dilaudem in sæcula, Amen. Bambergæ è Musæo meo Martiniano, Calend. Martij, Anni M. DC. XIX.

Ser.mæ Mai.tis Tuæ

Perpetuò fidelis & supplex Clientulus
Fridericus Fornerus.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVEREN-
DISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM,
DOMINVM

IOANNEM GODEFRIDVM

EPISCOPVM BAMBERGENSEM ET
VVirceburgensem, Franciæ Ducem, &c. Virgi-
ni Deiparæ addictissimum, &c.
Præambula allocutio,

DE NECESSITATE ET FRVCTV EVVLGA-
tionis admirandorum Virginis Bene-
ficiorum.

SACRI Tridentini Concilij decreto imperatur Ecclesiarum Præsulibus, ouium Christi supremis Pastoribus, & eorum vicem gerentibus Administris, vt explorandis, riteque inuestigandis, examinandis ac recognoscendis beneficijs, quæ Deus Sanctorum interuentu hominibus non sine miraculo persæpè confert, *haud pænitendam nauent operam; & rectè quidem, ne signa illa, & velut signacula atque sigilla, quibus Euangelij sui veritatem communire, ac roborare, & Ecclesiam veram Christo eius Sponso ab Hæreticorum Synagogis secernere placuit, contemptim habita exolescant, quinpotiùs ab obliuione vindicata, æternæ & nunquã intermorituræ hominum memoriæ inserantur, accuratißimeque commendentur.*

Sess. 25. de Inuocat. & Vener. Sanctorũ.

Esset enim perquã absurdum, & ab humana ratione alienũ, eximia

& præclara opera illa, quæ Diuina Bonitas ſupra naturam omnem hoc fine patrat, vt publica notitia ad omnes vndique Populos euulgata Fidē Catholicā illuſtrent, confirment, & Aduerſarios confundant, noſtra tam ſupina negligētia velut in tenebris conſepulta iacere, aut quaſi modio contecta latere: Quis enim accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ac non potiùs ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui ſunt in domo? *Sic & miracula iſta in Militante Chriſti Eccleſia.*

Matth. 5.

Quòd ſi Antagoniſtæ noſtri, ſiue Lutherani, ſiue Zvvingliani, aut Caluiniani, ex eiuſmodi aut glorioſiſſimæ hominum, & Angelorum Reginæ, aut aliorum Sanctorum Inuocatione, & apud Deum ſubuentu promanantibus miraculis quotidie deſignari ſolitis vel vnicū de mille, aut ſaltem dimidium ſolidè, veraciterquè proferre, poſſent, O quantoperè triumphaturi? quanta pompa, magnificentiaquè, ne dicam, faſtu, quibus verborum encomijs & ornamentis id deprædicaturi? in quem angulum? in quam Vrbem? in quam Prouinciam non prolaturi? in qua ſcæna, & Amphitheatro non publicè ad ſpectaculum producturi? Quæ teſtimonia, quæ documenta ei confirmando non eſſent aſcituri? Propudium igitur & probrum ignominioſiſſimum apud homines, reatus coram Deo difficulter expiabilis haud dubiè cenſendus, admiranda illa, & ſtupenda, quæ Deus in medio noſtri, & quodammodo in conſpectu & oculis omnium ad Glorioſæ Matris, Dominæ noſtræ dignitatem, honorem, cultumquè contra Hæreticos defendendum, & propugnandum, prapagandumquè exhibet, ingrata quadam ac tepida negligētia viliuſculè accipere, flocci pendere, in poſtremis habere, nec Dei Magnalia, vti par eſt, dignis laudibus efferre, ſed obſoleta quadam caligine obruta ignorantiæ latibulis abdere, & occultare. Nam ſi, *vt aureum illud Os loquitur*, optima Beneficiorum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua Confeſſio gratiarum: Si, *vt Melliſluus Doctor ſcribit*, danti rependi quidquam gratius ab accipiente non poteſt, quàm ſi gratum habuerit, quod gratis accepit: cùm ſpiritui gratiæ contumeliam faciat, qui beneficium dantis grata mente non recolit: Si, *vt alius*, iugiter ſibi ſubuenire facit, cui collatum Beneficium ante oculos ſemper aſſiſtit, ſi ad magna Benefacto-

S. Ioannes Chryſ. homil. 15. in Euāgeliū. S. Bernardus in epiſt. Caſſiodor. in Pſal. 33.

rem

rem inuitat, qui gratanter suscipit modica, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit: nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur: *procliue erit æstimare quantò luculentiora in perennibus animi bonis sperare detur ab illa humani generis Optima, Maxima, Beneficentissimaque Principissa, si quæ corporeæ saluti cælitus impertit miraculosa Beneficia, condigna gratiarum & laudis in Deum, Fontem omnis boni, reciprocatæ vicissitudine compensentur.*

Ea porrò miraculorum est dignitas, is respectus, ea fides, vt non immeritò Sanctus Augustinus affirmet; Catholicæ Ecclesiæ Authoritatem Miraculis esse inchoatam, vetustate firmatam. *Sicut namque initia miraculis egebāt, vt fidem infidelibus persuaderent, sic & progressio eorundem quasi fomento sustentanda erat, ne Credentium Fides deficeret.*

Miraculis propagata Ecclesia Primitiua

Contra ep Manich. cap.4.

Quamplurimis equidem iā inde ab incunabulis Ecclesiæ admirandis prodigijs mirabilem in Sanctis, & inprimis Matre sua ostendit se Deus: Nec *hodiernū in diem* abbreuiata est manus Domini; *sed quotidianis adhuc præter Naturæ ordinem collatis Beneficijs, illorum, ac præcipuè Matris honorem tuetur. Necessaria quondam erant ad Fidem propagandam; nunc contra Hæreticos defendendam. Primæui Christiani, tanquam infantes, hoc lacte velut alimento nutriebantur: Nos viri & robusti iam in Fide, dum his oculos mentesque pascimus, in eadem solidamur.*

Miraculis modernis Ecclesia innotescit & defenditur

Esaiæ 59.

Ergo vbi Miracula tam crebra, tam frequentia, tam certa, tam indubitata, tam clara, tam euidentia, tam luculenta, tam illustria, vt nulla planè, cuiusuis etiam pertinacissimi hominis tergiuersatione aut celari queant, aut negari; quis Numinis fauorem non agnoscat? Quis veræ Ecclesiæ Dei tesseram non deprehendat? Asserimus cum sancto Augustino: Culmen Auctoritatis Ecclesiam obtinuisse, Hæreticis Miraculorum Auctoritate damnatis. *Nec mirum: Nunquid enim summus Maiestatis splendor, cæcis lumen, claudis gressum, afflictis leuamen, ægris salutem, mortuis vitam reddi? Hæc in nostro Cœtu fiunt; hisce Priuilegijs sola gaudet Ecclesia nostra: hæc admiranda facta, hæc stupenda ad Inuocationem Virginis diuinitus hominibus col-*

Miraculis Hęretici cō uincuntur.

Lib. de vtilit. credēdi cap. 17.

Miraculorū splendor in Ecclesia Catholica.

lata Beneficia, ſolis inſtar omnes hæreticarum cauillationum, argutiarum, immò & Sardonicarum ſubſannationum nebulas diſijciunt, atque diſpellunt.

O mira DEI *Bonitas, quæ non contenta libris ſacris ducere & docere, hæc etiam admiranda Glorioſæ Virginis decora, & ornamenta tam noſtro æuo, quàm ſuperiore adiungit, Orthodoxis firmandis, perperam credentibus informandis. Nec vno ea loco, aut tempore ſpargit; ſed variat, vt plures certò agnoſcant; nec aurium ſolùm, ſed & oculorum ſenſu hauriantur. Vt* Ciuitas *illa* ſupra montem poſita *nemini ſit occulta; omnibus palàm, & in propatulo innoteſcat.*

Scriptura docet, mira cula indicāt Eccleſiam.

Matth. 5.

Animo iſthic obuerſatur meo ſignum illud mirabile Regi Achab quondam prænunciatum interuentu Prophetæ: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: *quem illum?* Et vocabitur nomen eius Emanuel: *Cur* Emanuel? *quia nobiſcum Deus. Signa vera, & miracula candida & ſincera à Deo ſunt, non aliunde. Cum quibus igitur ſigna illa, miracula, prodigia & portenta genuina, non adulterina, cum illis* Emanuel Deus. *Illa porrò vbi cernis? Vbi Virginis, Dei Parentis,* Magni *illius Apoſtolo Ioanni in cœlo apparentis* ſigni, *honori Diuinitus decreta, & depenſa vides? an apud Sectarios? an inter Lutheranos? an apud Caluinianos? abſit, res loquitur: omnia ſtāt à parte noſtra: Nos ergo penes vera Chriſti Eccleſia, quia nos inter Thaumaturgus Emanuel, nobiſcum Deus.*

Vbi miracula, ibi Deus Emanuel. Eſaiæ 7.

Apoc. 12.

O fidiſsima, ô irrefragabilia veræ Eccleſiæ indicia, & ſigna! quis non exclamet cum Ricardo de Sancto Victore: Domine, ſi error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus: Nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri potuerunt. *Sic efficaciter, ſic fortiter ſtupenda iſta ducunt, immò & quandoque trahunt erroneas ouiculas ad verum ouile Chriſti, vt nolentes, volenteſve Palmam veritati cedant, & eiuratis erroribus reſipiſcant.*

Miracula ſi nō euidēs veræ Eccleſiæ. Lib. 1. de Trinit. c. 2.

Quinimmò ad Pietatem quoque faces præferunt, ducatumque præbent quis enim tam ab omni Religionis ſenſu alienus, qui vbi rem, euentumque nouum, à natura, à ratione diſſonum videt, non moueatur animo, non intimis præcordijs, & velut ictu quodam admirationis ſe

Miracula ducunt ad Deū cognoſcendum, & colendum.

nis se percutis fateatur? Quis vel clausos non aperiat oculos, ad alta tollat, & Numen in his aliquod non agnoscat, à quo talia prodeant ad hominum vtilitatem? Hinc animus ad venerationem componitur, ad Fidem disponitur, ad honorandum ac laudandum Deum accenditur, & inflammatur. Quamobrem haud immeritò Prodigia ista, quæ Deo annuente ad Diuorum intercessiones fiunt, vt suprema Maiestas illa in Sãctis suis dignè laudetur, τῆς θεογνωσίας, Scholas, *inquam,* cognitionis Dei, *& voces velut inanimatas, arcana Numinis, atque inuisibilem eius magnificentiam deprædicantes cum S. Basilio lubebit appellare.*

Miracula Scholæ & voces inanimatæ.

Ex hoc eodem capite cumprimis fructuosum duxit sanctus Augustinus, eiusmodi Sanctorum Patrocinio hominibus collata Beneficia posterorum memoriæ transmittere, vt & ipsi condiscant Deum in sanctis *suis* honorare.

Psal. 149.

Isthoc & indignus ego, quem Illma & Reu^ma Celsitudo Vestra, Illustrissime Princeps ac Præsul, suum, tam in Pastorali cura, quàm in Pontificali munere Vicarium esse voluit, consilio inductus laborem hunc assumpsi, & Deiparæ VVeyerensis admiranda benefacta ad Posteritatis memoriam scriptione quatuor libellorum compilata, & in tot veluti odoratissimorum flosculorum delitiares manipulos, vt interno seruiant Lectoris Odoratui, colligata exornaui, & sub Illma & R.^ma Cel.^nis Vestræ auspicijs ac tutela in publicam lucem prodire iussi.

Fateor equidem, non omnia, quæ profero, in summo gradu miracula & prodigia æstimari, ac censeri posse, si de hominum existimatione sit sermo; quibus tamen derepentè ac subitò in calamitatibus, in afflictionibus, in morbis, in doloribus, in periculis diuinam opem per Virginis intercessionem inclamantibus fuère exhibita, summè, immò & extremè benefica extitère & gratiosa. Per me liceat, cui lubet, cælestis prodigij concursum ad beneficium secundùm magis & minùs discernere, limitare, aut ampliare, & vel hac libertate appetitui inseruire dum ea recenseri audit, vel sponte sua euoluit.

Gradus magnitudinis miraculorũ quoad hominum opinionem.

Scopus hic nobis modò, & deinceps erit, vt aduersus hæreticorum sannas, cauillos, mendacia, & calumnias Beneficia nostra Virginalia propugnemus. Adsis, ô Diua, labori, cumprimis Filij tui, ac tuo deinde honori & ornamẽto piè nũcupato, perenniterquè seruituro. Et insuper

id vnicè rogo; ſerua & tuere Illuſtriſsimum Principem, & Præſulem meum, tuum, quem noſti, fideliſsimum Clientem, vtriuſque Domus tuæ, tam VVeyerenſis, quàm Dettelbacenſis incliſsimum Amatorem, Excultorem, Inſtauratorem, Defenſorem. Tu ei ſcutum, tu aſylum, tu Mater ad vſum & neceſsitatem omnem, tu Opitulatrix atque Protectrix ei eſto in hac mortali vita, qua felici tramite decurſa, Ductrix in illam perennem ac beatam, quæ verè eſt vita.

Ill.^{mæ} & Reu.^{mæ} Cel.^{nis} V.^{ræ}

Deuotiſſimus ſeruus & Capellanus
Fridericus Fornerus, SS. Th. D.
Suffraganeus, &c.

LIBER PRIMVS

MIRACVLOSORVM

BENEFICIORVM DEIPARAE Virginis VVeyerensis.

Caput I.

Caput

Caput

LIBER SECVNDVS

BENEFICIORVM MIRACVLOSORVM DEIPARAE Virginis VVeyerensis.

Caput I.

Caput

LIBER TERTIVS

MIRACVLOSORVM

BENEFICIORVM DEIPARAE Virginis VVeyerensis.

Caput I.

Caput

LIBER QVARTVS

MIRACVLOSORVM

BENEFICIORVM DEIPARAE Virginis VVeyerensis.

Caput

Caput I X.

Caput X.

Caput X I.

Caput X I I.

Caput X I I I.

Caput X I V.

Caput X V.

Caput X V I.

Caput X V I I.

Caput X V I I I.

Caput X I X.

Caput X X.

Caput X X I.

Caput X X I I.

FINIS.

LIBER

LIBER PRIMVS MIRACVLOSORVM BENEFICIORVM DEIPARAE Virginis VVeyerensis.

CAPVT PRIMVM.

MENS ET CONSILIVM SCRIPTIONIS Historiæ VVeyerensis.

EA est diuinæ prouidentiæ circa res humanas Vigilantia, tàm solers cura, tàm laboriosa solicitudo, vt cū alijs mille indicijs apertissimè se prodat, ac luci publicæ, notitięque obtrusa varijs, mirisque modis insinuetur; in eo tamen, præcipuo quodam splendore, maiorem in modum inclarescit, quòd CHRISTVS IESVS humanæ salutis Reparator, gloriosissimam Virginem, parentem suam vnicè, inter omnes creaturas præelectam, ac prædilectam, atque ad id ab æternitatis fluxu prædestinatam, miserorum mortalium Patronam, Matremq; Benignissimam constituerit ac designarit.

Dei prouidentia in patrocinio Virginali.

Peruidebat etenim, & velut è speculo, diuinis oculis, quibus omnia nuda & aperta sunt, minutatim prospiciebat, humanam imbecillitatem nostram, è miserabili illo protoplastorum lapsu, innumerabilibus calamitatum casibus, & molestiarum ærumnis intolerabilibus exponendam; vnde viscera Diuinæ eius misericordiæ, commiserationis affectu, intimè permota, talem humano generi Præsidem, Tutricem & Opitulatricem, iam inde ab initio selegerunt, quæ salutem, ærumnis vndique cinctam, ac velut ab hostibus obsessam, aduersaria potestate profligata, periculis expedire, & tàm huius vmbratilis vitæ, quæ in hac miseriarum valle, flebili luctu, ægerrimè trahitur, quàm alterius illius, quæ vera est vita, spem, veris salutaribusque bonis, cumulare, vnà ex omnibus, & ma-

Miseria huius vitæ.

ximè vellet, & efficaciter posset, potentissimeque præualeret.

Maria V. exaltatio.

Potestas.

Monarchia.

Dominiũ in omnes Creaturas

Quis enim vel pessimus, & corruptissimus, è serpentis semine oriundus hæresiarcha, calcaneo honoris Benedictæ Deiparæ, tàm venenato morsu insidietur, vt ausit inficias ire, præpotentem Deum, Matrem suam, diuinæ Maiestatis potestatisque sociam, quatenus & licebat, & humanæ capacitas naturæ admittebat, in imperscrutabili consilio suo, iam à primordijs conditorum seculorum, adsciuisse? Quis abnuat, non solùm cœlestis illius Beatorum Ciuium Monarchiæ, hominumque pariter, in terris hisce degentium, principatum ei, ex illa communicatione diuinitatis, accreuisse? Quis sinceræ & Orthodoxæ fidei cultor non aliquando expertus est, ad Matris Dei arbitrium (quoad hominum tutela postulat) terras, maria, cœlum, firmamentum, naturamque vniuersam obedientissimo nutu ac moderamine administrari?

Maria dispensatrix cœlestium Thesaurorum.

Hac ipsa Angelorum & Hominum Imperatrice, & bene fauente, & clementissimè, promptissimeque annuente, diuini Gazophilacij thesauros incomparabiles, cœlestiaque dona, pleno copiæ cornu, mortalibus largiter effundit; vt omnes intelligant, quicquid à perenni illo, augustissimoque bonorum fonte in terras profluat, veluti canalis aut aquæductus deriuatu, in nos defluere per MARIAM; Et sicuti, quicquid nutrimenti, in digerente stomacho, perficiente hepate, calefaciente corde, contemperante cerebro, singulis humani corporis membris, æqua proportione distributum, communicatur, ex ore per collum in ventriculum transmittitur: Consimili itidem ratione, omne donum perfectum, sursum descendens à patre luminum, quod Ecclesiæ singulisque membris eius liberali mensura cœlitus erogatur, id totum à capite CHRISTO, per collum mystici corporis sui, Matrem inquam suam, MARIAM, vniuersis electis suis impertiatur. *Ad hanc igitur Sanctissimam Virginem, & Dei Matrem accurrentes,* profero S. Ioannis Chrysostomi verba, *eius patrocinijs multiplicem vtilitatem assequamur.*

Maria Canalis Aquæductus [illegible] collum [illegible] Sa[illegible] a. ob 1.

[illegible]om de Glor[illegible] Dei pa[illegible] [illegible] [illegible]em Metaph

Maria non [illegible] miraculis [illegible]tum.

Vobiscum autem, ó maledici Mariomastyges, hic meritò lites, & iurgia serimus: qui bonorum omnium riuulos, per MARIAM in nos promanare incessanter copiosissimeque decurrere pernegatis; Ehodum, dicite, quæ Regio? quæ Gens? quæ Natio? quæ Prouincia? quis terrarum tractus est, in quo verè Catholica, Romana & Apostolica fides, & Religio priscam adhuc sedem obtinet, vbi non illustratum miraculis, commendatum beneficijs, consecratum sacris ædibus, honorum titulis insignitum, Gloriosissimæ Virginis MARIAE, patrocinium aliquod existat? His inter sacras ædes, sacrosanctæ

Dei

Dei Genitricis honori nuncupatas, non infimum locum fibi olim vendicabat VVeyerenfis Ecclefia, innumeris ad variorum, calamitatibus, miferijs, & ærumnis oppreſſorum hominum, fubleuatricem editis opem, miraculis celebrata, & infignis, vt eius fama non folùm adiacentes, fed & longè lateque difsitas prouincias peruagata, innumerabilem integris menfium, hebdomadarum, dierum fpacijs, hominum multitudinem ad fe quotannis attraheret, eofque Gloriofifsimæ Dei Genitricis interuentu, multiplicibus beneficijs, ad corporum animorumq; falutem affluentiffimè cumularet, adeoqué omnium afflictorum, ægrorum, opis egentium, commune perfugium, atque afylum non folùm haberetur, omniumque ore celebraretur, fed & frequentifsimo, è procul diffitis locis, hominum accurfu, frequentaretur.

Beneficia Miraculofa Deip. Virg. In VVeyer.

Extinxerat, vt affolet, præclarum illum atque eximium Virginis cultum, atque deuotionem peſtifera Lutheri herefis, totam Franconiam noſtram, in eaque potifsimum, Bambergenfis diœcefis, depopulata ditioné. Nunc verò cùm reſtaurata veteri, & auita maiorum noſtrorum Religione, prifca etiam in Deum, ac diuos pietas, & reuerentia, fingulari Diuini numinis iuuamine, refloreſcat, cœleſtia quoque & prodigiofa, in omnis generis homines, Benedictæ Dei Matris interuentu, rebus fuis afflictis opem expoſtulantes, beneficia reuireſcunt.

B. Virginis cultus à Lutheri herefi extinctus.

Fateor, quod res eſt, & affectum meum è cordis fundo & latebris aperio: haud exiguo dolore excruciabar fæpè fæpius, tàm admiranda, tàm ſtupenda, Virginis Matris adiutrice manu, collata hominibus dona atque beneficia, tàm vetera, quæ ad noſtram memoriam peruenerunt, quàm noua, quæ ab annis aliquot contigerunt, ingrata obliuione fepeliri, ac poſteritatis notitiæ, haud fine diuini honoris contemptu, fubtrahi, atque ita materno Virginis in nos mortales affectui, condignam gratitudinis vicem contumeliosè denegari. Et hæc mea fæpius animo recurrens cogitatio erat: Deus bone, Annales condimus, & facta, aut facinora hominum, immò & fcelera propagamus: Dei ac diuorum opera negligamus? Reginæ Diuorum beneficia, fitu & fqualore obliuionis erodi, immò abfumi finemus? nec iuuabit neque cõdecebit.

B. Virginis Beneficia obliuione fepulta.

Memor ergo verbi illius ab Archangelo Raphaele olim prolati: ***Sacramentum Regis abfcondere bonum eſt; opera autem Dei reuelare, & confiteri magnificum eſt***; decreui, ex innumeris pauca, quæ mihi innotuerunt, confcribere, atque ad poſterorum æuiternam recordationem tranfmittere; ne veluti pleraque ab ijs, qui Sacræ Virginis Domui quondã præerant, defidiosè neglecta, filentij tenebris obruta,

Tob. 12.

Scopus noſter, in quẽ collimat fcriptio iſta.

consenescendo exolescerent, ac penitus interirent. Idque eo candore, eaque germana sinceritate, qua Diuina beneficia commemorari, ac recenseri par est, effectum dabimus, sine omni fuco, vbi paucissima quædam, de origine, veteri statu, ac situ, sacræ domus VVeyerensis præambulæ orationis loco, in gratiam Candidatorum, virginalis honoris, præmiserimus, vt pij lectoris animus, ad honorandam Virginis Basilicam, vberiùs excitetur.

CAPVT II.

SACRAE BASILICAE DEIPARAE VIRGINIS in VVeyer vetustus à tempore Lutheri status.

VEtera, de sacræ ædis VVeyerensis celebritate, diplomata, & monumenta, vt in medium producātur, nemo, anticipata Iuris præsumptione à nobis poterit exigere, cui pristinus eiusdem status, quem ab aliquot iam euolutis tenuit annis, non est ignotus. Nam cùm *dormientibus hominibus superuenisset inimicus*, & *zizania* contemptus *tritico* deuotionis & honoris Deiparæ Genitricis cumulatim *inspersisset*, prænobilis ista Deiparæ Virginis domus, temporum turbulentissimorum iniuria, ita neglectim ab ijs, quorum id officij erat, defensa est, vt eam, nemine prohibente, Catholicis è sacerdotibus Apostatæ effecti, Lutheranæ sectæ præcones non paucis annis occuparent. Quid aliud obsecro ab Archytæ crepitaculis, & pseudo Euangelicis hisce Blateronibus, expectare potuisses, quàm quod Lutheri spiritus, asseclis suis, iam ab incunabulis, quinti huius Euangelij, incubante Diabolo, nequiter ingenerauit? Hi ergò Dæmoniaco serpentis infernalis oestro perciti, Summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, & Fundatorum diplomata, omniaque Virginalium Beneficiorum, in varios homines impertitorum, testimonia, descriptiones, votiua Anathemata, publicaque Instrumenta, quinimmò & omnia editorum miraculorum vestigia, paucissimis immunitatem ab interitu consecutis, Vulcano tradiderunt, flammisque exusta, omninò aboleuerunt. Nec id cassa fide affirmo; viui oculatique testes etiamnum hodieque supersunt, viri ætate graues, candore germano conspicui, quod haud rarum est, in montosis Franconiæ partibus, centesimum partim æquantes, partim superantes annum, qui vno omnes ore vnanimiter affirmant, se hanc, VVeyerensis domus, iniuriam, condolentibus animis conspexisse, & cùm (eius vtpote tractus Satrapa,

VVeyerensē Basilicam Lutherani prædicantes occupant. *Matth. 3.*

hære-

hæreſi Lutherana, infecto, Miniſtriſque prædicantibus, impenſiſsimè fauente) impedire nequaquam poſſent, ægerrimè tuliſſe.

Verùm, ô diuinæ prouidentiæ luculentiſsimum argumentum! non tulit omnipotens ille honoris materni Zelator eximius CHRISTVS IESVS DEI, & MARIAE FILIVS, vetera miraculorum monumenta ſic extingui, vt nihilomninò Reliquiarum ex illis ſupereſſet. Nam cùm Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, ac D.nus D. Nythardus à Tüngen, laudatiſsimus Bambergenſis Eccleſiæ Antiſtes, Catholicæ Religionis in ea ditione magnanimus, & verè imperterritus Aſſertor, eliminato & eiecto hæretico prædicante, pontificali expiatione præmiſſa, luſtratam Eccleſiam VVeyerenſem Catholico Sacerdoti regendam conſignaret, non ſine diuino nutu, ad dextrũ ſacrarij latus, in quo ſacra corporis Dominici Hierotheca quõdã aſſeruabatur, retro ſedilia, quib. hæretici prædicãtes, totum oppleuerant, & more ſuo turpiſsimè deformauerant chorum, cùm amota eijcerentur, parietinæ affixa tabulæ, vetuſtiſsima membrana, centum abhinc, & eò ampliùs annis conſcripta, miraculoſa aliquot Deiparæ beneficia continens, viſebatur. Quæ poſtea eiſdem, quibus exarata erat, antiquitatem redolentibus verbis, typis euulgata, celebritati loci non parum attulit incrementi.

Nythardus Epiſcopus Bambergẽſis prædicantes expellit ab Eccleſia VVeyerẽſi. Miraculorũ quorũdam veterũ caſualis inuentio.

Eiecto igitur vaniſsimo verbi Luthero Euangelici Buccinatore, ſubrogatoque Catholico Sacerdote, & cultu diuino, veteri reſtituto vigori, vetera quoque miracula, quæ olim ſine numero, diuinitus in hoc loco patrabantur, nouis atque recentibus ſine numero ſuccedentibus, teſtimonijs aucta, maiorem in numerum excreuerunt. Verùm ô deteſtanda, & meritò execranda ſocordia! Perierũt omnia. Nemo erat, qui vel vnicum annotaſſet; Quæ res nobis quoque calcaria addidit, vt huius generis diuina Deiparæ Virginis ope impetrata, varijſque hominibus in varijs neceſsitatibus impertita beneficia, maiori ſtudio diligentiaq; perueſtigãdo diſquireremus, ne ſimili vecordium hominum incuria perirent.

VVeyerenſis Baſilica reconciliata nouis coruſcat miraculis.

Sedulò igitur & fideliter, ex Archijs, aut monumentis deſcripta trademus, procul ab adſtruendo, omiſsioni propiores, inprimis dum vetera iſthoc primo libro tractamus. Quid ita? quia vt æui ſuperioris ſimplicitas, aut neglectus fuit, multa ab ijs non conſignata ſcriptis fuere, etiã quæ in Illuſtribus perſonis patrata opinemur. Quidni opinemur, in tam frequenti eius cultu, quem non niſi beneficijs & miraculis probabile eſt prouocatum? Sed vtinam Lutheri hæreſis pauca illa, quæ vetuſtas non inuidebat, minimè abſumpſiſſet; non foret vtique, quod tantopere lamentaremur. Damnum irreparabile eſt, quid fruſtraneo mœrore conficimur? ad alia greſſum dirigamus.

Miracula priſca libro primo pertractanda.

CAPVT III.

EX ANTIQVA TRADITIONE FVNDATOR *sacræ huius ædis S. Otto Bambergensium Episcopus, & Pomeranorum Apostolus.*

TEmporum iniuria & hic nobis obstaculo est, quò minùs certa & indubitata fide, de origine & Fundatore, testari valeamus ; Idipsum quoque Ministris Pseudo-euãgelicis acceptum feratur, & adscribatur. quid ita? quæ hæc ipsorum culpa? vetustatis huiusce memoriam omnem, inuido in Dei Matris gloriam liuore perditum iuerunt; O malum insanabile! ô damnum irreparabile! qui consciuere, pessum eant & ipsi. Quicquid ergo proferemus, maiorum nostrorum traditione primùm, ac deinde argumentis, haud incerto & vago, sed solido veritatis fundamẽto subnixis, firmabimus, & constabiliemus, auspicemur à primo, cui nemo, nisi frontem omninò perfricuerit, egregiè & extra limitem impudens, contradicet.

S. Otto in Pomeraniã profecturus sacram AEdem VVeyerensem consecrauit.

Ab omni ergo hominum memoria firmiter creditum, & sine omni ambiguitate aut hæsitatione, in posterorum ac nepotum, & pronepotum, aliorumque deinceps descendentium, notitiam transmissum perhibent; Sanctissimum Bambergensis Ecclesiæ Præsulem, Octauum successionis ordine, sanctum inquam Ottonem, ex Andecensium Ducum & Comitum, plurimorum sanctorum, in album cœlitum, à summo Ecclesiæ capite, canonicè relatorum, fertilissima prosapia oriundum, Magnum inquã illum, multisque miraculis clarum, Pomeranorum gentilium Apostolũ, voti reum, quod pro felici conuersione Idololatrarum Deiparæ Virgini, cuius deuotioni prima iam ab infantia, & à parentibus consecratus, & sua sponte vehementer addictus erat, nuncupauerat, in ipso primi itineris (nã bis in Pomeraniam profectus est) ingressu Ecclesiam hanc, iam à fundamentis excitatam, de more, Episcopali consecratione, in Dei laudem, sub nomine ac tutela Dei Matris dedicasse.

Homines Centurijs annorum vitæ celebres testimonium ferunt S. Ottonem

Quod ipsum quoque etiamnum hodiernum in diem, non sanè paucorum, aut centum ætatis annos excedentium, aut è propinquo attingẽtium, atque in vicinia illa, etiam sub Brandenburgico Marchionatu degentium, fide dignissimo relatu, & mihi audire, & ex ore, auribus haurire, excipere, ac tum postea, cum alijs alibi constituta domicilia possidentibus, conferre, exoptatissima sorte contigit. Omnium ergo vox vna, cõsensus vnanimis, suffragium concors: Audiui à Maioribus meis, ab Auo,

ab Auia mea, VVeyerense templum a S. Ottone fundatum & consecratum, non pauci addunt: Cùm in Pomeraniam ad conuertendos gentiles proficisceretur. Quis talium veridicis attestationibus, cùm ætate grandæui iuxta Germanam simplicitatem, animi candorem vnicè colant, fidem deroget? piaculum sanè non exiguum admitteret: nam simili contradictione omnium historiarum fides è medio tolleretur. Sile, distorti cerebri cauillator: ne triumphum ante victoriam cantato, tuæ calumniæ non solùm delirorum senum, vt reris, nugamenta sunt nostra fundamenta. Solidiora sequentur.

Fundatorē sacræ Domus VVeyerensis.

CAPVT IV.

IDEM PROBATVR E VITA S. OTTONIS.

ARgumenta, vel potiùs coniecturas, Traditioni non parum roboris ac firmamenti collaturas, euincendæque veritati, propius inseruituras, hic aggrediemur.

Prima est è vita S. Ottonis, tribus comprehensa libris, quos è rebus gestis eiusdem diui Antistitis, à Timon Presbytero Capellano, & itineris ac laborum socio compilatos, Andreas montis S. Michaelis Bambergæ, Abbas, ante aliquot sæcula, ordine digessit, & Iacobus Gretzerus Societatis Iesu Theologorum lumen ex Apographis diuersis è locis impetratis, pronuper Ingolstadij typis excusos, publicæ luci dedit. Ibi hæc verba lib. 2. cap 8. expressim ponuntur: *Paratis omnibus, quæ profectioni erant necessaria, salutato Clero & populo, tanquam hoc opere viam sanctificaret, duas Ecclesias, vnam in Lu[illegible]nperge, & alteram in Vohendrese consecrauit. Hinc transito nemore Bohemico per Albatiam Cladruam ventum est Pragam.* Hæc historicus ille.

Coniectura prima.

Lib 2 cap. 8. vitæ S Ottonis, Andreas Abbas montis S. Michaelis.

En tibi duarum Ecclesiarum, Episcopali ritu, nouiter in ipso itinere inauguratarum mentionem; Earum prior etiamnum superstes est, & in medio pagi Haslach, ad Septentrionis latus, sub Teuschnicensi parœcia, præalto in colle visitur, estque eidem Deiparæ Virgini, Martyrum Reginæ, & quatuordecim primarijs Martyribus sanctis (quos à frequentibus beneficijs, eorum apud Deum interuentu, varijs hominibus præstitis, Auxiliatorum titulo, vulgò insigniunt) consecrationis cæremonijs attributa. Cuius id notatu pariter & admiratione dignum vetustatis testimonium, ad nostra vsque tempora perdurans, hodierna etiam die omnium notitiæ palàm exponitur: Neque enim aut muro, aut fossis, vt complures in eo tractu, illa cincta

Sacellum Haslacense à S. Ottone dedicatum, miraculo insigne.

est

Bestiæ non sine prodigio locum sacratum reuerẽtur.

est Ecclesia; Quàm latè tamen ac longè, lustralis aqua, Ecclesiarum Dedicationi, Apostolico ritu adhiberi solita, terram aspersit, nulla planè Bestia, siue domestica, siue fera, & syluestris transire, aut solet, aut potest. Sed, quid si vi impellatur, vt terminum transgrediatur? Certa est, & vsu millies comprobata experientia; aut illicò perit, aut vno, vel vtroque lumine orbata, excœcatur, aut claudicatione, aut alio infelici euentu debilitata, prorsus inutilis redd tur. Vel hoc ipsum argumentum sacrorum locorum cauillatores, tam Lutheranos, quàm Caluinianos confundat, & eorum contra Ecclesiarum consecrationem futiles nænias in nihilum redigat, ac dissipet, cùm, quem sacris locis honorem, rationis expertes bestiæ vltrò exhibent, nasutuli, ac nimiùm altè sapientes Scioli præter omnem rationem ironicè explodunt, & peruicaciter subsannant.

Altera Ecclesia à S. Ottone dedicata, VVeyerẽsis Basilica.

Hic porrò nostra insurgit quæstio: quænam sit altera in Vohendrese, vt editio noua indicat, & magis ad meridiem vergit, ad Bohemici nemoris confinia declinans? Est vtique VVeyerensis nostra. Aies; Nomen Vohendresee discrepat à vocabulo VVeyer; Quorsum igitur diuersa nomina, vbi res vna, & locus vnus? Edisseram breuiter. Vetusti codices euoluantur, & verborum sensus penlitetur; in re nulla erit difficultas, sola in nominibus discrepantia apparebit. Antiquissima manu scripta prototypa, quæ è diuersis Bibliothecis meas ad manus peruenere, memorant locũ illum, in quo hæc sacra Deiparæ Basilica sita est, vocatum quondam prisco Germanorũ Idiomate, Voherdernsee/aliàs Vordernsee, quę duo verba minimè solertium librariorum incuria, subrepente erratica methathesi ex ignorantia veritatis Vohendrese, pro Voherdernsee, aut Vordernsee, nã idẽ vtrũq; est, alij transcripserunt. Cùm itaq; vernacula lingua nostra, vel parũ certè, vel nihil omninò differant, See & VVeyer, imò potiùs hoc, quàm illud nomen lacubus, quibus VVeyerensis Basilica cincta erat, multò aptiùs quadret, fieri facilè potuit, quod antea ducentis propemodum annis, tempore S. Henrici in See, tempore S. Ottonis in VVeyer, vel vtroque pariter nomine extiterit appellatum.

Refer age, inquiet alius: Quid Voherdrensee aut Vordrensee ad VVeyer? quid respectus priorum ad situm lacuum, aut piscinarum anteriorum cùm VVeyer nullam planè, nec anterioris, nec posterioris lacus relationem importet? Accipe paucis. Cincta olim erat lacubus, piscinis, & viuarijs VVeyerensis Ecclesia; quæ ergo Leogalto eam aspicienti, aut recto itineris tramite, è Cuprimontanis partibus eam petenti primis obtutibus occurrebant, licèt occidentem versus declinarent. Anteriores dicebantur. hinc nomen Vordrensee aut Voherdrensee; hinc etiam Ecclesiæ nomen vetustum, in Vordernsee. Quæ verò stagna & piscinæ in altera collis parte, perfluentibus Cosseræ fluuij, fon-

tan is

tanis aquis, optimorum piſcium Thymallorum, Truttarum, tam nigricanticorum, quàm auricolorium Luciorum, Phoxinorum, Gobiorum & Muſtelarum fluuiatilium multiplici fœtura, copioſiſſimoque genimine, vt olim, ita & modò, locupletantur, orientem licèt ſpectantia ſolem, videri tamen in decliui valle haud poterant, poſteriores nũcupabantur. Et hæc in hodiernum adhuc diem, à ſitu anteriori ac poſteriori, nomina obtinent. Baſilica igitur, quam ſcriptor vitæ S. Ottonis in Vordrenſee appellauit, in VVeyern, quo nomine in hodiernum diem inſignitur, ſancti etiam Ottonis tempore appellatam fuiſſe, impedimenti nihil aut obſtaculi vetat, quò minùs, ſine vlla hæſitatione firmiter nobis perſuadeamus. Sanctiſſimum itaque Pomeranorum Apoſtolum Ottonem, Baſilicæ VVeyerenſis & Fundatorem, & Conſecratorem eſſe, neque in dubium vocamus; neque id pernegantibus vllam credulitatem adhibemus.

Obiectio è S. Ottonis vita diluta.

Nec veritatem infringit, quod forſitan è S. Ottonis vita, à Timone Presbytero concinnata, legitur, qui expreſsè aſſerit, vt in Germanico, ante Centenos aliquot annos, è latina in vernaculam noſtram linguam conuerſo codice, expreſſis verbis, deprehendi (latinum enim exemplar in manus meas necdum incidit, tametſi varias huius Prouinciæ Bibliothecas curioſiùs euoluerim) S. Ottonem à Luckenberga in Palatinatum tranſiſſe, ibique Eccleſiam in Voherdernſee conſecraſſe, atque inde per ſyluam Bohemicam tranſeundo, Cladrenſi Monaſterio viſitato, Pragam perueniſſe. Negotij nihil hæc nobis faceſſit obiectio. Rem ipſam, & cum re veritatem accipe. Author eſt, poſt Bruſchium Auentinus (vtinam tàm ſincerè Orthodoxus, quàm diligens Hiſtoricus) tractum omnem, qui ſyluam inter Bohemicam, Vogeſioſque montes, intra quorum fines Deiparæ VVeyerenſis Baſilica clauditur, à Sexcentis propemodum annis Palatinatus ſuperioris nomine quondam intitulatum.

Sed quid Ratisbonenſis Diœceſis, quam Timo facit, mentio? Non officit, quam defendimus, veritati; nam partem illam verſus ſyluam Bohemicam per Vogeſios montes excurrentem, in qua Epiſcopalia iura iam dicit Præſul Bambergenſis, tranſigente S. Heinrico Imperatore, à Ratisbonenſi Iuriſdictione ad Bambergenſem deuolutam, nemo eſt, qui, dummodo S. Heinrici res geſtas legerit, ignorare poſſit. Hinc igitur fieri potuit, vt etiamſi ſpectauerit ad ditionem Bambergenſem, nihilominùs tamen retinuerit nomen tractus Ratisbonenſis.

Dubium ex Annalibus Martini Hoffmanni.

Sed priuſquam vlteriùs progrediamur, noua hîc iterum difficultas, emergens, nos premit. Martinus Hoffmannus primùm ſancti Ottonis Epiſcopi in Pomeraniam (nam bis eò Religionis ac fidei, tum diſſeminandæ, tum reſtaurandæ cauſſa, profectus eſt) iter deſcribens, inter alia ſic fatur: ***Impetrata hoc modo à Pontifice, & Imperatore licentia, & comparatis or-***

namentis, & vtensilibus omnibus ad Ecclesiæ & Sacri Ministerij vsum necessarijs, Otho, Clericis aliquot assumptis, altero post S. Georgij diem iter ingressus, Forchemium primùm; deinde Nouem Ecclesias & Michelfeldense Cœnobium accessit. Ibi & Presbyteris Diuinis operatus millaribus aliquot inde ad petitionem Gebhardi Comitis VValdeccensis, sacellum quoddam consecrauit, & vltra sex hominum millia Chrismatis Sacramento firmauit. Inde per Palatinatum, & sylvam Hercyniam in Bohemiam progressus, Cladram Monasterium Clara iam pridem Religionis fama nobilitatum adijt. Inde Pragam Regni Metropolim peruenit. Hæc ille; Quæ si sunt vera, aiet scrupulosulus historiarum Criticus, S. Otto nec Luckbergense, nec Vordernseesse Templum in primo itinere Pomeranico potuit dedicasse; sic totum ruet, quod ei velut inconcussæ firmissimæque basi superstruxistis.

(Lib. 3 Annal. Bambergensium & innumerorum in vita S. Ottonis.)

Quid nos ad hæc? Vnde suum Hodæporicon mutuârit Hoffmannus non satis vtique dispicimus, ac peruidemus. Sed salua eius authoritate præferendam censeo narrationem Timonis Presbyteri, qui sancto Ottoni & viæ Comes indiuiduus, & laborum socius impiger vtroque in itinere cohabitauit; & is nostræ fauet sententiæ de inauguratione Ecclesiæ VVeyerensis. Quid si Hoffmannus secundũ sancti Præsulis iter confundat cum primo? Id sanè vero tam est affine, quàm quod simillimum. Sed demus ita esse, vt vult Hoffmannus; Nunquid poterat Antistes sanctus ad auspicatius itineris præludium duas, quas diximus Ecclesias, consecrasse, & Bambergam redijsse, ac tum demum itineri se accinxisse, & viam, quam ille refert, tenuisse? nec hoc à vero quicquam abhorret: nam Historici tum sacri, tum prophani persæpè ea, quæ negotio alicui præmittuntur, ipsimet rei gestæ decursui sic attexere consueuerunt, vt vno eodemque filo, tractuque confecta censeantur.

(Responsio nostra. 1, 2, 3)

Vt taceam, non deesse, qui arbitrentur sacellum, cuius titulus & nomen siletur, Gebhardi Comitis VValdeccensis rogatu à S. Ottone dedicatum, aliud non esse, quàm VVeyerense Virginis domicilium; ducuntur autem rationibus, meo quidem iudicio, à fide non omninò alienis: Nam & ex Bruschio & Auentino liquet, tractum illum, qui Vogesios inter montes ad Septentrionem clauditur, & à Pinifero ad Orientem excurrit, & iam partim à Norimbergensi Burggrauiatu, partim à Palatinatu, partim à Bambergensi Ecclesia possidetur, tum Vohburgensium, tum VValdeccensium Comitum, dum eorum Familiæ adhuc superstites florerent, ditioni ac potestati subfuisse.

(4)

Sed nos, quibus dubia pro certis vendere non placet, ista haud morantur, quin Maiorum nostrorum Traditioni firmam, indubitatamq; fidem impendamus, quandocunq; tandem Sanctissimus ille Episcopus Ecclesiã VVeyerensem sub Virginis tutelari præsidio sacris ritibus inaugurarit.

(Traditioni Maiorum defertur ratio)

Certio-

Certior alia superest coniectura. S. Otto in Pomeraniam iturus, expeditis itineris occasione negotijs, cùm Pragam omninò, visitato Cladrensi Monasterio, petiturus erat, à VVeyerensi Ecclesia compendiosiorem non poterat viam inire, quàm rectà Pilsnam, indeque Cladram, & Cladra Pragam tendere: nam duplò aliàs, immò & ferè triplò longius iter confecisset. Nec etiam Vir sanctus, falcem in alienam mittendo messem, Ecclesiam alterius Episcopi Iurisdictioni subiectam consecrare præsumpsisset. Res clarior euadet ex his, quæ proximo Capite sequuntur.

Alia coniectura.

CAPVT V.

DONATIO VVEYERENSIS ECCLESIAE Monasterio Lanckheimensi facta ab Ottone secundo, haud obscurè arguit, Ottonem Sanctum eius esse Fundatorem.

PERGO, & alia haud parum veritati consentanea, & affini coniectura nostrum comprobo institutum. Non effluxere solidi triginta plùs minùs anni, Sancto Ottone Pomeranorum Apostolo ad superos iam translato, tribus etiam successoribus eius, Egilberto, Eberhardo Bauariæ Duce, Hermanno Misniæ Marchione, Episcopali officio defunctis, & ecce quartus à sancto Ottone, duodecimus ordine, in Cathedra Bambergensi Successor, & Episcopus eligitur Otto secundus, cognomento à liberalitate deriuato, Largus, Andechsius, item Comes S. Ottonis è Fratre Bertholdo Nepos, insigni vitæ sanctimonia, & tam in egenos, quàm in loca Deo sacrata spectabili munificentia clarus; vt non tam sanguinem & Episcopalem Mitram, quàm virtutes Sanctissimi Patrui B. Ottonis hæreditasse videretur. Sub eius etiam Regimine sanctus Otto, ingentibus apud sepulchrum editis miraculis, verè se apud Deum in Beato cælituum consortio degere, perenniterque viuere comprobauit; Et ea quidem multiplici afflictorum ad eius sepulchrum, sacrasque exuuias Diuinam opem efflagitantiũ præsentissimo bono, & rerum momentis, ac pondere, & numero sic augebantur, sic cumulabantur, vt à Clemente Pontifice Romano non ita multò pòst Nostri adhuc Ottonis temporibus in Sanctorum album Canonica inauguratione referretur & publicis totius Ecclesiæ Dei militantis in terris honoribus condecoraretur, qui iam exaltatus in Triumphanti securissima summi boni possessione iugiter frueretur.

Otto 2. Episcopus Bambergensis S. Ottonis ex fratre nepos.

Miraculis post mortem claret S. Otto.

Eius Canonizatio.

Quid attinet longiorem Ottonis Largi præclarissimorũ gestorum, atq; facinorũ laudatissimorum Catalogum texere? Nihil illi prius, nihil anti-

quius, quàm à sancto Ottone Patruo, à fundamentis excitata Nosocomia, Asceteria & Ecclesias, conseruare, augere, dotare, locupletare, vt tam pauperibus quàm ijs, qui Altari Cultuiq; Diuino inseruiebant, abundè suppeterent, quæ ad victum, & sustentationem congruam exigebantur.

Inter alia porrò, Deo, Diuinoque Cultui ac Dei Matris honori dicata loca, non sanè in postremis habebat VVeyerensem Basilicam, à B. Ottone cognato, à primario lapide exædificatam, & sub titulo Gloriosissimæ Virginis Mariæ, solenni ritu dedicatam, annuisq; prouentibus affatim communitam. Nam vt in ea diuinus cultus augesceret, vt Christianus populus, eidem subiectus, & Doctrinæ & Sacramentorum pascuis ritè legitimeque curaretur, præter census, iam assignatos, nouis annorum prouentuum additamentis auctam, Lanckheimensi Monasterio, cuius idem S. Otto Primarius fundator extiterat, contradidit, firmaq; donatione consignauit, nihil indè, nisi Episcopalia Iura, sibi, & successoribus suis, Episcopis Bambergensibus, reseruans. Et hæc quidem gesta sunt, S. Bernardo sacri Cisterciensis Ordinis fundatore, non amplius equidem, vt non nemo arbitratur, in viuis agente, sed quod lubentius crediderim, non ita pridem ex hac mortali vita ad superos translato. Extat Donationis huius Diploma in Repositorijs Archiui Lanckheimensis, cuius Apographum à Prototypo Exemplari integra fide descriptum, mihi communicauit Admodum Reuerendus in Christo Pater & Dominus, D. Petrus Schonfelderus, Abbas Lanckheimensis, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, Cisterciensis Ordinis, in Germania (absit inuidia, & sit procul à veritate) lumen & ornamentum; ex eo omnia quæ asseruimus, & singula, sigillatim clara fient, & manifesta; omnemque ambiguitatis scrupulum cuiuis, etiam ad anxietatem, sagacissimo dubitantio, eximent, & elident. Optimi Præsulis verba sic habent:

Otto secundus locupletat VVeyerensem Ecclesiam.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Ego Otto secundus Sacrosanctæ Bambergensis Ecclesiæ, quamuis indignus Episcopus; optatum habentes exultare cum Sanctis in gloria, ipsos facere nobis amicos satagimus de temporali nostra substantia, qui nos iuxta Dominicum promissum recipiant in æterna tabernacula.

Diploma donationis Ecclesiæ VVeyerensis.

Sanctam Mariam ergo, vt decet, honorare cupientes, Monachis eius in Lanckheim donauimus Ecclesiam illam, in VVeyer, cum omnibus suis attinentijs, ita vt Rapoto Venerabilis Abbas, eiusque successores, per idoneos Sacerdotes, Ecclesiæ prædictæ Diuina prouideant, & Episcopo, Archidiacono plebis vel Plebano, de suo iure vel præsentatione respondeant. Ceterùm saluis his decimas, census, & redditus seu quælibet vtilitates, Ecclesiæ Abbas & Monachi, in sua conuertant, vt & ipsi & Fratres Ordinis ipsorum, qui adueniunt, illic hospitium habeant, reddantque nobis oratione propitium ipsum, qui futurus est Iudex, & dicturus, in hospite se ecepium.

Facta est donatio hæc Anno Domini M.C.LXXXVIIII. Heinrico Præposito, qui eiusdem Ecclesiæ Archidiaconatus officio præfuit, & Burckhardo de Scorgest, qui eiusdem Ecclesiæ Decanus fuit, clero quoque, ac familia nostra Babenbergensi acclamante, quorum vniuersitas huic facto consensit. Sit ergò Fratribus de Lanckheim Ecclesijs hæc, cum prædictis pactionibus firma & rata, sit in testimonium charta hæc sigillo nostro signata: Quam quisquis temerario ausu infregerit, Christo Domino, & MARIAE *Matri eius, in quorum amore res gesta est, aduersari se nouerit. Testes Heinricus Præpositus, Burckhardus Præpositus idemque Decanus, & alij multi.* Hæc Diplomatis verba.

VVeyerensis Ecclesia olim Monasteriolũ Ordinis Cisterciensis.

Fuit ergò VVeyerense Virginis Domicilium, à S. Ottone excitatum, ab eius Nepote, Ottone secundo, Sacræ Cisterciensium Religiosorum familiæ contraditum, Diuerticulum quoddam & Monasteriolum, aliquot Sacerdotum, vsque ad calamitosa illa tempora, quibus Hussitæ Bohemi, Duce Ioanne Zisca, non contenti totius illius Regni Ecclesias, Monasteria, Collegia, Sacella, Altaria destruxisse, ac solo æquasse, in vicinas etiam partes, & potissimum in Bambergensem Ditionem irruperunt, vbi cùm insigne, celeberrimumq; Ordinis D. Benedicti Monasteriũ Monacobergæ, vbi iam elegans eius nominis Ciuitatula visitur, interfectis aliquot Religiosis viris, spoliatum, flammis omninò exussissent, postridiè statim, vt habent vicinarum Ciuitatum Actuaria, VVeyerensem domum aggressi, Martyrio affectis Sacerdotibus duobus, & laico Fratre, qui remanserant, simili vastitate & incendijs deformassent, quibus extantia adhuc in hodiernum diem rudera indubitatum planè testimonium præbent.

Restauratio Ecclesiæ VVeyerensis.

AEtate insuper & senio graues, in circumuicinis locis degentes viri, affirmant à parentibus partim suis, partim ab auis, relatum sibi, in illa Hussitarum grassatione, vnà cum Monasterio, totam propemodum Ecclesiam conflagrasse, præter Chorum, cui nouo schemate, vt visitur, posterior nauis, sequentibus annis, fuit adiuncta. Ab eo tempore VVeyerensis Ecclesia Religiosorum Cisterciensium domicilium esse desijt, in Parochiæ formam denuò redactum. Qua verò transactione ius eius omne deuolutum sit ad Præsules Bambergenses, indagaui quidem, at hactenus inuestigare nequiui.

Sufficiant nobis, indubitata Maiorum Traditione, de Fundatore certificatis, quotidiana illa, ac planè stupenda, in varios Mortales, afflictis rebus Virginis gloriosæ interuentu, opem exposcentes, beneficia, quibus, Optimo Maximo Deo Thaumaturgo, placuit hunc locum condecorare.

* *
*

CAPVT VI.

SITVS SACRAE AEDIS DEIPARAE VVeyerensis.

Situs.

OPERAE precium me facturum confido, si celeberrimæ nostræ Basilicæ situm paucis attigero. Est igitur in superioris Franconiæ finibus orientem spectantibus sita, vbi Varisci montes, quos veteribus Sudetos, Bruschius; Vogesios, alij scriptores appellatos volunt, qui Orientalem Franciam ad Eurum à Turingiæ & Voitlandiæ, ad Austrum à Bohemiæ limitibus disterminant. Abest porrò à Leogastensi è septem Cuprimontanæ Satrapiæ subiectis oppidis ac Municipijs vno ducentis plus minus passibus. Mira sanè naturæ benignitas, vt hic obiter attingam, afficit Leogastum: nam quotquot in Municipio sunt domus, & inquilinorum habitationes, tot sunt fontes; ita vt quilibet in domo sua viuam perenniter scaturientis aquæ venam habeat ad domesticos vsus paratam. Vix alibi simile quid aut videris, aut inaudieris. Vallis interiacet peramœna, fontium itidem scaturiginibus, & stagnis ac lacubus visenda & collibus feracissimis per gyrum cincta. Virentibus ac feracissimis pratis ad armentorum & pecorum pasturam omne spatium occupatur, quod fontali fluuiolo è Leogasto decurrente per medium veluti secatur, copiosissimeque quolibet anni tempore, cùm incolis placet, irrigatur. hic tandem per riuulos diuisus in ima planitie in aliquot omni minorum piscium genere, geniminecq; locupletissima viuaria exoneratur.

Leogastũ fontium scaturiginibus abũdans

Confinia si dispiciamus; ab Oriente Monocobergam, Curiam Variscorum Brandenburgicæ ditionis, & Norici Burggrauiatus; ad Occidentem, vbi Culmobaco discesseris, Cuprimontanum; à Meridie Marckshorgastum; à Septentrione Steinacum, & Cronacũ, omnia Bambergici Episcopatus oppida, & Municipia vicinitate sua contingit. Collis Ecclesiæ substratus lacu olim amplissimo, quem Zeccam vulgò appellitabant, ambiebatur, hominum siue incuria, siue industria maiori parte quondam desiccato, alendisq; pecoribus deputato; nunc autẽ Ill.mi & Reu.mi Principis nostri Bambergensis, & Herbipolensis Episcopi, Franconiæ Ducis, Ioannis Godefridi, &c. qui nouo & insigni ædificio Virginalem Basilicam exornare molitur, iussu & sumptu non exiguo pristinæ redditus est amplitudini, atq; commoditati. Influit, quem diximus, Lacum, Hohenberga, Vico non procul inde sito, descendens fluuius, cui Maior Cossera ab incolis nomen inditum, ad distinctionem Minoris Cosseræ, Septentrioné versus, VVirsbergam oppidum itidem Marchionicum alluentis,

Confinia.

Collis in quo extructa Ecclesia. Lacus Zecca quo ambitur.

Cossera maior fluuius.

vbi

vbi minor in maiorem influens, priusquam Culmobacum oppidum allambendo transeant, haud procul à pago Kauerndorff, Mœno principe Franconiæ fluuio, sua dimittentes nomina, sese immiscent.

Ipsa deniq; Templi moles pereleganti, licèt non adeo grandi structura, fabricata in vertice monticuli eminens, à longè, præsertim Steinaco venientibus sese luculenter ostendit. Aedificij porrò principalis corpus, Pilis quatuor rotundis secto lapide substructis & columnarum instar surgentibus, vnà cum concamerato desuper laqueari sustinetur. Fenestris ordine concinno intercolumnijs vtrinque correspondentibus, tota Templi capacitas copiosè illuminatur. visuntur denique tàm in Choro, quàm sub Tholo, & eius vtroq; latere Altaria quatuor, quæ & ipsa vetustate sua ad pietatem aspectantes quà incitant, quà inuitant.

AEdificij structura.

Sed quò ferimur? non est instituti nostri plura de similibus commemorare, quæ inuisentium oculos vt pascant, potiùs relinquenda. nobis ad miracula properandum quorum ea, quæ ante Centum annos contigisse, vti meminimus, vetusta membrana refert, hoc libro prosequemur.

CAPVT VII.

PVERVLVS TERTIO A MORTE resuscitatus.

PRIMVM ergo, quod vetus illud VVeyerense suppeditat monumentum, & triplex pariter continet stupore plenum prodigium. & triplex quoque confugientibus ad Deiparæ virginis tutelam beneficium. Grande miraculum est, vita functum ad vitam reuocari; Grandius miraculum, tertiò defunctum à mortuis resuscitari. Ausa est pia deuotorum fidelium confidentia triplex miraculum petere: non dedignata est pijssima miserorum opem efflagitantium Auxiliatrix & triplex beneficium annuere, & suppliciter postulantibus liberaliter elargiri. Ibi spes implorat, quod isthic materna Deiparæ benignitas affectu benefico donat.

Miraculum triplex.

Puer itaq; paruulus, lethali oppressus morbo, tertia vice ad extrema deueniens, tertia vice animam egit; imò etiam, ipsorummet parentum testimonio, penitus expirauit. Humano itaque deficiente præsidio, ad expostulandū, quod cælitus in æde VVeyerensi sæpè numero virginis interuentu demissum inaudierant, ad Sacram veluti anchoram cōfugiunt. Ter moritur puer; ter oblationis, tam pueri, quàm aurei nummi votum concipitur. Nec votum euentus, nec vouentium fiduciam fefellit clementia Dei Matris: nam prima alteraque vice puer ad vitam rediens, non

tamen

tamen à periculosa, & mortifera ægritudine liber apparebat; Tertia demum vice, lucis huius vsuræ restitutus, integerrimam quoque, cum vita, sanitatem diuinitus accepit.

Cur Deus aliquando differat nos exaudire.

Eximium sanè, siue miraculum, atq; ad stabiliendum Reginæ cœlorum apud Deum pro nobis interuentum, luculentissimum Argumentum; siue saluberrimum Christianis hominibus, in suis ad eum, per intercessionem Sanctorum calamitatibus confugientibus, documentum, ne clypeum illicò abijciant, neuè animum despondeant, si vna alteraque vice, prout anhelant, non illicò à Deo exaudiantur: Aio namq; & firmiter adstruo, S. Gregorij Magni verbis; *Eò magis, ad Deum clamantes, exaudiri ad meritum, quò citius non exaudiuntur, ad votum.* Morem quippe solis, ad ortum tendentis, imitatur bonitas Diuina; Nam sicut ille non vnico in momento, ex inferiori ad superius transilit hemisphærium, nostrumque illuminat Horizontem, sed lento paulatim progreditur pede, crepusculi subobscuri, infuscato colore, candidioribus auroræ Phenomenis, inaurato rubore, radijs insuper scintillantibus, tot veluti præambulonibus præmissis, cum pompa, & grauitate quadam, in mortalium conspectum, sensim procedit: sic misericordia Diuina, quod Cananææ mulierculæ exemplo euidentissimè ad oculum liquet, quædam veluti beneficentiæ suæ indicia prodit, dum interiùs fidem excitando, fiduciam augendo, exterius quædam, non tamen omnia quæ petuntur concedendo, petentium desideria prorogat, donec tandem apertis veluti Cataractis, plenum, in calamitosos opis egentes, auxilij flumen effundat.

In Moral. lib. 6 cap. 9.
Simile.

Misericordia diuina quomodo nobis subueniat.
Matth. 15.

CAPVT VIII.

PVER AQVIS SVFFOCATVS vitæ redditur.

ADVERSA hominibus à Deo immittuntur, non vt officiant, sed vt ad finem, in quem creati sunt, assequendum conducant: sunt enim, quæ plerunque nobis in hac vita eueniunt, clades & ærumnæ, Gymnasia Dei, in quibus nos Tyrones suos ad robur instituit, & virtutem. Idque ne vix quidem vllus sibi persuaderi sineret, nisi expertus didicisset.

Clades cur Deus immittat.

Haud temerè crediderim, parentem, cuius Filiolus, aquis submersus, perierat, & vitæ restitutus, in altero, vetustæ tabulæ, Miraculo perhibetur, tale quippiam in animum suum neutiquam induxisse, priusquam afflictionis peracerbo flagello, Diuina sic disponente permissione, tangeretur. Molitor is erat, & fortè, quod vsu venire

non rarò solet, paulò indiligentiùs à submersionis periculo filiolum abarcuerat; tristissimum itaque neglectus præmium tulit. Puer namque incautiùs ad ripam in aquis lusitans, anterioris corporis pondere degrauante, in aquas deiectus, rapidisque vndarum vorticibus haustus, vitam amisit; fluminis denique impetu eò abreptus est, vt diu multumque requisitus minimè inueniretur. Quid porrò de inuento? sublimem pedibus eleuant, vt aquas hiāti imbibitas ore protinus eructaret; vita exploratur; varia indicia frustra adhibentur; Nec fieri poterat, si de naturæ cursu sit sermo, vt tantisper in aquis iacens, imbellis puerulus, sospes & incolumis persistat. Quid plura? conclamatur ab omnibus, qui vnà cum parente ad triste spectaculum accurrerent, exanimem esse, omnia vitæ experimenta, casso irritoque euentu, tentata: humanis itaque remedijs deficientibus, ad diuina confugitur. Votum simul à parentibus concipitur, & illicò diuæ Virgini VVeyerensi dicatur. Res mira, vix tam citò votum emittitur, quàm subitò præter omnem expectationem vouentes exaudiuntur. Obrigescens, ac frigidum pueri corpusculum, calore ad vitalia redeunte, sensim incalescit, mouetur, oculos aperit, viuificatur, perfecteque sanus puer parentibus restituitur; Qui tanto haud ingrati beneficio, Domum sacram inuisunt, miraculum publicant, & oblato munere, diuino inprimis Numini, & hominum deinde, atque Angelorum Reginæ, condignas grates persoluunt. Atque ita, quod per immaculatæ Virginis Mariæ preces, à Deo Patre, in nomine Filij eius vnigeniti, sine hæsitatione petitur, non est impossibile apud ipsum omne verbum.

Nulla vitæ signa in puero inuento.

Pueri mirabilis reuocatio ad vitam.

CAPVT IX.

PVER OCVLI PVPILLA GRAVISSIME LAESVS persanatur.

VT flumina in mare prono perpetuoque cursu feruntur: sic omnis hominum vita, per afflictionum canalem, ad suam tandem delabitur metam. Haud rari quippe, qui nec Deum, nec Diuos cordi ducerent, nec cum Regulo Euangelico ad Christum per Virginem Mariam properarent, ni violento necessitatis telo adigerentur.

Afflictiones ad Deū ducunt.

Nisi fallor, pueri, in oculo periculosissimè sauciati, parentibus idem potuit vsu venire Verùm flagella, quæ nos in hoc mundo premunt, ad Deum ire compellunt. Cernere id licet in re præsenti. Puerulus, de more coætaneorum, arrepto manibus cultro, inter gesticulandum, ex alto in pauimentum corruebat, atque inter cadendum, cultri

Ioan. 4.

cuspide oculum sibi penitus ita transfixerat, vt pupilla prorsus discissa inidoneum reddiderit ad recuperandam medicamentis naturalibus luminis integritatem. Consuluntur Chirurgi, qui inuestigari poterant, artis medendi quàm peritissimi: sed vel exigua, vel nulla prorsus ab illorum arte & manibus spes affulgebat. Detrectant nimirum oleum & operam, fida quantumuis manu impensam & elocatam perdere in re, ipsorum iudicio, omnem experimentorum facultatem infinitis parasangis excedente. Conclamatum itaque de oculo pueri palàm edicunt; Frustra tot lachrymas, tot suspiria & gemitus, tot eiulatus & querimonias à parentibus excuti, quibus tamen pueri oculus nequeat recuperari, constanter affirmant. Tenerrimè filiolus à parentibus diligebatur. Quò ergo tutius confugerent, humana ope spem omnem eludente, nisi ad Deum & gloriosissimam Dei Matrem? Votum communicato vtrimque consilio nuncupât sacræ Ædi VVeyerensi, & Dei Matris opem grauiter implorant. Sed ecce voti fructum: sine omni Chirurgorum malagmate incurabilis pueri oculus breui temporis interuallo, non sine vniuersorum, qui conscij erât, admiratione sanescit, perfecteque curatus amissum lumen sine defectu recuperat. Discant hinc in afflictionibus pusillanimes tantum de Matris Dei misericordia sperare, quantum humani auxilij inopes compellantur desperare.

Oculi læsi vulnus insanabile.

Oculi insanabilis mira curatio.

CAPVT X.

PVERPERA DIVTVRNIS PARTVS DOLORIBVS extincta reuiuiscit.

TOT miseriarum Myriades post lapsum primorum Parentum humanum genus inuaserunt, vt qui eas percensendo numerare contendat, leuiori labore camporum gramina, fluminum ac marium arenulas, arborum folia, firmamenti stellas, certo ac definito numero côplectatur. At longe numerosior est multitudo miserationum Dei Matris. Quem enim à sua vnquam ope exclusit? cui maternum auxilium denegauit? quem à suppetijs quas ab eius clementia rogitabat, vacuum dimisit? meritò sancti Bernardi verbis ciuitatem istam Refugij nostri cum fiducia compellamus: *Sileat misericordiam tuam, ô benedicta, quisquis te in necessitatibus inuocatam sibi meminit vnquam defuisse.*

Miseriarū humanarū multitudo.

Serm. super missus est.

Fiducia nobis accrescat cum fide, exemplo viri, cuius vxor diebus aliquot partus doloribus durissimè conflictata, enixo quidem

fœtu

fœtu, atque in hanc lucem producto, cum vitæ propriæ dispendio lucis vsuram amisit. Parabantur omnia ad funus necessaria, sepulchro effossa humo iam designato, exequiarum pompa componebatur; Et iam iam defunctæ cadauer puerperæ domo efferendum in feretro à Vespillonibus collocabatur. Quis hic nisi mentis inops eius vitæ spem vlteriùs concipere potuisset? Eam verò maritus haud dubiè vir pius, & augustissimæ hominum atque Angelorum Reginæ peculiari deuotione addictus non despondit, non neglexit, non in postremis habuit, minimè abiecit.

Mors puerperæ fœtū iam enixæ.

Mente igitur in Deum eleuata suos ei mœrores, prolisque orbitatem lamentabiliter exponit; Tum denique voto aurei muneris destinato diuæ Virginis VVeyerensis misericordiam quàm ardentissimè flagitat. Auditu pariter & visu res mira. Vix verba effatus erat, & ecce defuncta quasi è graui somno euigilans, ad se redit, oculos aperit, incalescit, luridoque pallori natiuo rubore succedente, in verba erumpit; diuæ Virginis ope vitam sibi redditam profitetur, maritum solatur, atque ita cœlesti opitulatrice benefauente, non parum felici Catastropha puerperium eius terminatur. sic quæ *impossibilia* sunt *apud homines*, annitente Virginis pro hominibus *apud Deum* efflagitatu, *possibilia* factuque facillima redduntur.

Cita voti exauditio.

Luc. 18.

CAPVT XI.

A QVINQVE ANNIS PHRAENETICVS ET furiosus vsui rationis restituitur, & sanitati.

ARbores turbulentissimorum flabris ventorum, ac procellarum conuulsionibus vehementiùs agitatæ, altiores radices agunt: sic homines licebit inuenire, quibus hoc moris à natura quodammodo insitū est, atq; agnatū, vt nulla re magis ad pietatē Deiq; timorē erudiātur, & in humilitate ceterisq; virtutib. incremēta capiāt, quā si aduersitatē, cladiūq; variarū veluti calcarib. extimulētur. Quis hoc in pulcherrima illa & aspectu iucundissima Danielis *arbore, in cuius ramis cœli volucres nidificabant*; sub cuius vmbra & bestiæ, & homines refrigerium quæritabant, in Rege, inquam, Nabuchodonosor, tot annis ad insaniam atque amentiam redacto, imò & in bestiam transmutato, atque à Regno deiecto, & ab omnium hominum conuersatione eliminato, meridiana luce clarius non intelligat, & vel palpando ipsismet digitis attingat? Fateor

Simile.

Afflictiones ad pietatē excitant

Daniel. 4.

Regis Nabuchodonosor humiliatio.

infauſta ſors potentiſſimo Monarchæ, attamen ſalutaris à Deo ſalutem eius prouida ſolicitudine quæritante conſultò immiſſa: hinc enim, qui ſe Deum quendam terreſtrem iactitabat, ad animi demiſsionem, vt ſe ſub manibus omnipotentis Dei humiliaret, vtiliter eruditus, & à beſtiali amentia liberatus, mentis quoque ſanitate reddita, amiſſum Regnum maiori, quàm perdiderat, fęlicitate recuperauit.

Miſeria Phrenetici huius.

Memoratur inter vetera VVeyerenſis Domus miracula, vir quidam, cuius par quidem conditio; ſed nec diſpar exitus cenſetur. Quadriennalis beſtialitas Regem Nabuchodonoſor, at illum quinquennalis amentia tenuit eò infeliciùs, quò furioſiùs ſæuiebat, & Dæmoniaci atque obſeſſi in modū debacchabatur, Iuſtiſſimo Vindice Deo, vel eius præteritæ vitæ noxas expiante, vel eius vecordiam ad pietatis ac virtutis exercitamenta ſuæ calamitatis fortiter attrahente. Tot igitur annorum in hac miſeria emenſis ſpacijs, diuina annuente clementia, lucidum rationis ac mentis interuallum cœlitus immitti perſenſit. Miſer itaque malis vndique oppreſſus, extrema iam propè deſperatione torpebat; cùm oblata ſubitò lux eum ad ſpem ſalutis erexit. Aeſtuanti namque, & auxilium cœleſte protinus circumſpectanti VVeyerenſis Virginis, de cuius vi ac benignitate mira multa inaudierat, memoria occurrit. Igitur, ſubeunte animum pariter vitæ prioris pœnitentia, obortis lachrymis Deiparam inuocare, Numen per eam placare, cœleſtes iras auertere, ſummo conatu cœpit. Salubre conſilium capeſcenti, extemplò Benigniſſima Mater Miſericordiæ viſcera reſerauit. Eadem igitur hora, qua voti viſitandæ VVeyerenſis Domus reum ſe conſtituerat, illicò Phreneticus furor abſceſſit, rationis vſus cum perfectiſſima ſanitate acceſſit, & intelligentiæ ſpaſmo ſucceſſit. Ergo ille vix præ gaudio ſui compos & capax impigrè ad Virginis templum, vti vouerat, contendit, vbi Deo ac Virgini grates impensè agit,

Promptitudo Dei Matris ad exaudiendum.

Cœleſtique beneficio lætus, quod ei contigerat enarrauit. Adeò nec prioris vitæ errata quemquam à Matris Dei beneficentia ſecludunt, dummodo contrito corde doleat & reſipiſcat.

* *
*

CAPVT

CAPVT XII.

PVER FVRORE CORREPTVS, VOTO AD mentem redit.

R*Abbi quis peccauit? hi: an Parentes eius?* interrogabant Discipuli Dominum, à natiuitate cæcum sanaturientem. Quibus ille: *Nec hic, nec parentes eius deliquerunt*, aut perperam aliquid in Deum admiserunt, *sed vt glorificetur Deus*; Ideò cæcitatis malo eum affligi permisit. Quid de hoc puero, quid de infantulis alijs, quibus non rarò morborum dolores, & cruciamenta diuinitus immittuntur? haud vtiq; satis dispicio, si præsertim ad particularia descendatur, & personales circumstantiæ pensitentur. Non abnuo, parentes quandoque in sua carne, & sanguine, suis, inquam, in liberis castigari, quod Dauid in Filiolo suo, ex Bersabea genito, certissimo probauit experimẽto. Nec inficias iuerim, sine omni parentum culpa id etiam à Deo quandoque permitti. Vtrumlibet eligat, qui parentes, amentis huius pueri, aut culpa liberare volet, aut onerare. In eo certè bonorum parentum officiũ strenuè exequebantur, cùm filiolum, insanabili amentiæ, ac furoris plaga percussum, eorum exemplo, qui lunaticum filium, ad Christum itidem sanationis gratia, detulerunt, frustra iam pridem, tentatis omnibus, quæ remedij ergò poterant adhiberi, cœlestium auxiliorum præsidijs, intimo cordis affectu, deuouebant.

Ioan. 9.

Filij quandoq; Parentũ peccata luunt.

2. Reg. 12.

Matth. 17.

Mos erat maioribus nostris, vt si grande aliquod à Virgine Virginum Dei Matre donum efficaciter impetrare satagerent, puras aliquot ac virgineas mentes in supplicationis societatem asciscerent, vt quod exoratum cupiebant, promptius obtinerent. Sciebant quippe, immaculatam virginem puris atq; intemeratis animulis præcipuè delectari, & eorum petitis procliuius ac libentius acquiescere; qua in tentatione, furiosum filiolum suum, Parentes vnà cum quinque Virginibus, Virgini Deiparę, in VVeyer, voto addixerunt. Nec pio Parentum desiderio defuit benignitas Virginis Matris: nec votum optato caruit euentu. Ex illa nempe hora, sopito furore, ad sanam, integramq; reuersus est mentem puer; parentes porrò, summo affecti gaudio, pia cum gratiarum actione, Voti debitum, in VVeyerensi Ecclesia, vnà cum votiuis virginibus, persoluerunt.

Pia apud maiores nostros consuetudo, per Virgines apud Virginum Reginam supplicãdi.

CAPVT XIII.

TEMERARIVS IVVENIS LARVA PERSONAtus insania castigatur; sed voto Deiparæ VVeyerensi nuncupato liberatur.

Larvarum carnis-priuialium abusus à Deo castigatur.

ABominandus laruarum Carnis-priuialium abusus, ac detestabilis in varias siue Bestiarum formas, siue etiam Dæmonum personas, transuestitus, notabili cum primis deformitate hominis ad Dei similitudinem & imaginem conditi dignitatem vt plurimum dedecente infamis, vt pijs ac Deum timentibus arridere non solet: ita nec Deo, qui diuini Numinis sui Maiestatem non patitur irrideri, nec imaginem suam Sathanicis eiusmodi ludibrijs exponi & contemptim tractari, gratior accidere potest. Exemplo vis erudiri? Terreat lasciui, & petulci cuiusdam Iuuenis, formidabilis vindicta: Hic namque Bacchanaliorum superstitiosis lupercalibus dans operam, turpissimam vestem, qua personatus ac laruatus incederet, concinnari, varieque vt assolet coloratis pannorum segmentis consarcinari iubet; qua indutus egregium scilicet facinus designaturum sese rebatur, si discurrendo per plateas, & viarum compita, inconditis clamoribus affectatoque boatu omnia turbaret.

Infaniæ morbi Voto Deip nuncupato fugatur.

Sed ecce præsentem Numinis vindictam; qui furorem, & insaniam tecta persona simulabat, Deo pœnam irrogante, sine mora vero insaniæ œstro correptus horrendissimos edens fremitus, & vlulatus, atque instar Leonis rugiens circumcursitat, & nec sibi, nec alijs à violenta manuum iniectione parcit ac temperat. Malum insanabile longiori tempore miserum affligit; quid faceret expers non solùm, sed & exspes auxilij? qui opitularetur, nemo vspiam reperiebatur. A tempore igitur & ex necessitate consilium ineunt amici, & cognati, atque vt ex voto Deiparæ nuncupato, vnà cum quinq; Virginibus sacram VVeyerensem Basilicam inuisens Clementissimæ Matris medelam imploret, matura deliberatione habita, consensu tandem vnanimi decernitur. Nec mora, vbi primùm sacra attigisset limina, mentis caligo euanescit, rationis lumen tenebris veluti obscuratum illucescit, & qui mentis inops venerat, Deum in Matre sua impensè laudans, mentis compos patrios lares reuisit.

CA-

CAPVT XIV.

PVER PLVMBEA CRVCICVLA INglutita, suffocatus ad vitam reuocatur.

NEc minor in discutiendis afflictionibus alijs, quàm in curandis, mentique restituendis Phrænetìcis, Deiparę VVeyerensis facultas enituit. Mos est paruulis, vt quæcũque obuia, oculis conspecta, appetant; appetita manibus arripiant, arrepta ori intrudant, siue noxia sint, siue indemnia careant nocumento. Tulit hoc casus, quem præ manibus habemus. Paruulus plumbeam crucem fortè fortuna in mensa positam, siue non prohibentibus, siue non aduertentibus, aliundè occupatis parẽtibus, apprehendit, & inter gesticulandum ori imprudenter admouit, admotamque deglutijt, iuguloque attraxit: Verùm elisis ac præfocatis faucibus, penitus traijcere nequiuit suppresso igitur anhelitu, spirituque intercluso, vitam incredibili parentum dolore terminauit. Quid facerent? quò confugerent? ad quem in tàm insperato infortunio, suppetiarum causa, recurrerẽt nemo erat in promptu, nemo alius, siue de lõginquo, siue de propinquo, disquirentibus occurrebat. Fama igitur beneficiorum Deiparæ Virginis VVeyerensis, varijs hominum generibus impertiri solitorum exciti, ac permoti, bonæ spei, haud dubiè Diuinitus affatim adimpleti, atque à bono Genio inspirati, supplices ad Deum inprimis, deinde verò Gloriosam eius Genitricem, MARIAM, preces emittunt, deploratamque tàm suam, quàm filij sortem, vtrique misericordiæ fonti vberrimis cum lachrymis quàm ardentissimè commendant. Votum insuper edunt, vnà cum oblatione filiolum Deiparæ VVeyerensi sistendi, condebitáq; laudis, & gratiarũ actionis munia persoluendi. O vim admirabilem implorationis Virginei Succursus! Vix verba effati erant, & ecce puer, subito quasi tremore cõcussus eructare & excreare incipit, plũbiq; massam cruori iuctam euomit, & extussit; Imò quod magis mirum; sine omni læsione eodem momento integrè sanus à parentibus ineffabili gaudio affectis ad domum Virginis perducitur, vt tam fertile, tamque salubre votum solemni ritu perficiatur.

Infantilis imprudẽtia.

Vis admirabilis inuocationis Deiparæ.

CAPVT XV.

MVLIER VLTIMO SVBMERSIONIS SVPPLIcio affecta, vitæ in aquis aut seruatur, aut redditur amissa.

MInùs illustre, si personam personis conferas; at magis admirabile apparebit, si res ipsas, quod in Bohemia contigisse memorant VVeyerenses Tabulæ. Mulier, ob vehementem suspicionem criminis, siue maleficium id fuerit, siue infanticidium, siue vtrumque simul, vt credibile est, in Bohemia à Magistratu Ciuili capta, in carceres compacta, & quæstionibus subiecta, ac diu multumque acerrimè excarnificata, flagitij reatum tandem confitetur. A Scabinis itaque, ac cæteris Iudicibus, morti adiudicatur, & submersionis, ac suffocationis sententia in caput eius pronunciatur. Fit executio; ad supplicij locum (is erat profundissimus Fluminis gurges) educitur. Tum protinus, pedibus manibusque vincta, prælongis alligatur perticis, quibus à Iustitiæ ministris sub aquis strictim fortiterque prematur: oris insuper hiantis capedini interstitiale lignum iniectum sic stabilitur, vt eijci, aut excuti nulla vi queat & hoc ritu situque in aquas, cum impetu præcipitatur, atque in fundo, longioris temporis spatio, detinetur.

Submersionis supplicium.

Stupendum ecce prodigium Deiparæ VVeyerensis opera patratum. Ab omnibus, qui aderant, iam pridem aquis suffocata, & enecta putabatur misera mulercula: Verùm extracta, manibus pedibusque vt erat adhuc vincta, aperto hiantique ore, exanimato cadaueri similis, oculos aperit, labia & membra mouet, clamando quoque, vt poterat labijs diductis, vitæ indicia prodit. Hic igitur obstupuere omnes, intentique ora tenebant. At Iudex è pauore paulisper animi cogitationes recolligens, oris impedimentum eximi iubet. Tum; quid rei subsit, quòd vitam sub aquis non amiserit, interrogat; illa cordatè respondet: Gloriosa Virgo Dei Mater, multis, in VVeyerensi Ecclesia, miraculis illustris, me seruauit; cui me non solùm in carceribus, sed & aquis iam iam obruenda calentissimis precibus deuotè commendaui: Illa inquam misericordiæ Mater hoc tanto beneficio me indignam beauit; huic omnem deinceps vitam meam lubens acceptam fero. Attoniti spectatores, tanti miraculi communi calculo vitam ei donandam edicunt, & approbant, cui beatissima virgo vitæ prorogationé tam luculento prodigio impetrasset. A Magistratu itaque libera dimittitur. liberata, præpeti cursu ad VVeyerensem Basilicam contendit, miraculum publicis etiam attestationibus roboratum euulgat, &

Notabile prodigiũ.

Voti Deiparæ facti mirabilis virtus.

bene-

beneficatricis Clementiam, debita gratiarum actione, pro viribus compensat.

Calumnia hæreticorũ refutatur.

Videor mihi, quadam veluti è specula prospicere hęreticorum nostratium calumnias, si in quoduis aliud, in hoc præcipuè, Virginis beneficiũ, assolita temeritate, sacrilegis linguis effutiendas. Quis ille inquient Deus? quæ illa Dei mater? qui sceleratis hominibus, atque à Magistratu damnatis maleficis, sospitatem, & impunitatem faueant, velint, procurent? quid, annon summè iustus Deus est? iniustitiam igitur tàm apertam qui operabitur? Quomodo gladium, quem Magistratui, ad vindictam malorum, stringendum, vsurpandumque demandauit, ipsemet iubebit recondere in vaginam? An sibimet contrarius erit? & quam semel tulit legem, denuò refiget atque cassabit? Verùm audi, Blasphemum os: tune terminũ pones misericordiæ Dei quæ præponderet iustitię eius? annon *misericordia Domini super omnia opera eius?* tune Deo legem præscribes, vt iuxta excerebratum, corruptumq; cerebrum tuum non cuicunq; humiliter supplicanti misericordiam impendat, sed te dictante, te imperante, huic abnuat, alteri annuat? *Tune cognouisti sensum Domini, & consiliariũ eius vnquam egisti? Iudicia Dei abyssus multa*; ac præsertim in casibus eiusmodi, à via Iuris ordinaria, speciali priuilegio exemptis.

Psalm. 144.

Rom. 13.
Psal. 35.

Deus solus est directus vitę humanę Dominus.

Vita cuiuscunque hominis, etiam criminosi mortisque sententia condemnati, in manu & potestate Dei est: ipse directus vitæ Dominus est. Quid ni citra omnem Magistratus, & ordinariæ, inter homines potestatis, iniuriam, præsertim in gratiam dilectissimæ Matris, cuicunque lubeat, eam condonare sit potis? nec alię desunt Historiæ complures è quibus apertè liquet, complures itidem, mortis reos, sub ipsa extremi supplicij inflictione, similem à Deo, gloriosæ Virginis interuentu, gratiam consecutos. Vnum duntaxat exemplum, ex Horatij Tursellini Historia Lauretana depromptum, temeritatem vestram egregiè confundat. Rei seriem verbis Authoris recensitam accipite: *Cæterum,* inquit, *illud vel maximè admirabile: Samnitum Prætor Lauretum petẽs, Ciuitellam diuerterat. Ibi nefarium hominem deprehendit, assuetum in Deum, ac Virginem Lauretanam impia subinde verba iactare. Ergo incensus ira, protinus exempli prodendi causa, vesanam magniloquentiam, exsecta sacrilego lingua, vindicauit. Neque hoc contentus eundem in custodiam traditũ asseruari sedulò iubet, quoad ipse Laureto regressus, decerneret, an esset pœna grauiore mulctãdus. Itaque miser ille supplicio sumpto æger, intentato sollicitus, aliquando resipuit, & scelere in cultum verso, dies noctésque Lauretanam Virginem tacitis placare precibus votisque instititit, obsecrans, vt infensam sibi Proregis leniret iram: daretque facultatem, animi labes Sacra cõfessione expiandi. Nec ingrata Virgini, irritæve extiterunt impij hominis resipiscentis preces. Haud multò post species Deiparæ illi in somnis oblata est, iubentis eum*

Historia simili calomniæ occurritur.
Lib. 4. hist. Lauret. c. 11

Virginis apparitio & solatium.

bono animo esse: breui fore, vt custodia emissus ad Lauretanam AEdem pergeret, ibique peccata confiteretur noua lingua subsidio. Prædictionem comprobauit euentus. Experrecto quædam quasi lingua renasci cœpit, qua haud sanè ægrè sensa exprimeret mentis. Et Prorex Laureto reuersus re cognita parcendum existimauit, cui Virgo ipsa pepercisset. Confestim igitur eum liberum dimittit, monitum, vt suo post hac periculo saperet. Datisque ad pœnitentiarios literis, miraculi testibus, Lauretum destinat gaudio gestientem ad vota reddenda. Quò vbi venit, haud magis Proregis Epistola, quàm res ipsa miraculi fidem omnibus fecit. Quippe patefacto oris hiatu, (mira dictu, mirabilior visu res) simul recisam linguam, simul lingulam quandam subnascentem videbant, & tamen vbi ille vellet, quanquam bleso ore, audiebant loquentem. Neque hic stetit res. Postquam domum reuertit, sacris mysterijs bis terue perceptis, noua lingua ad iustam magnitudinem nouo excreuit miraculo. Itaque Lauretum denuo ad agendas Deiparæ grates, ijs ipsis, qui exsectam paulò antè linguam viderant, (quorum ex numero Raphael Riera fuit, qui hac memoriæ prodidit) immortali B. Mariæ dono renatam ostendit, cunctis rei nouitate atque admiratione attonitis, & tam eximium, tamque illustre miraculum Beatæ Virgini gratulantibus.

Duplex insigne Virginis Lauretanæ miraculum.

Ab hoc eodem scopo non abludit Infanticidæ fœminæ Laudunensis historia, quæ ad rogum cõdemnata, Patrocinij Virginalis protectione communita, ab igne nec potuit lædi, nec occidi, aut exuri. Sigeberti verba, vt nostro miraculo maior fides adstruatur, lubet apponere; & hæc sunt: *Vixit circa annum Domini 1094. non procul ab vrbe Laudunensi quædam mulier, quæ arcanum homicidij crimen à se commissum in Exomologesi detexerat sacerdoti, ac deindè, post acceptam mortis sententiam, vt flammis ardentibus traderetur, ad supplicij locum ducebatur. Et quoniam per Deiparæ templum iter habuit, vbi toti populo peccatum suum confessa est, virgini Matri magna etiam fiducia supplicauit, seque totam eius patrocinio commendauit. Hinc digressa, & iam in ignem semel atque iterum coniecta, tantum Dei & Virginis beneficium sensit, nihil vt ab igne, quamuis copioso & vehementi, caperet detrimenti, immò nõ modò carnem, sed & vestem etiam ab omni flammarum iniuria seruauit semper illæsam. Cùm hinc admiratio ingens animos populi occuparet, ad dictam Mariæ templum cursitatum est, vt vnà cum bona muliere Deo & virgini gratia agerentur, tantumque miraculum ad virginis inuocationem gestum communi omnium lætitia celebraretur.* Hæc Chronista ille: Tam procliue est Patrocinio Virginis hominem illæsum seruare in vndis, quàm in flammis; quæ ergò effectum dedit istud, in sua habuit potestate & illud, eadem vtrobique fide, & veritate.

Mulier in flammis illæsa seruatur.

In Chronico Anni 1094.

CAPVT XVI.

PVERVLVS COLLO LETHALITER TRANSfixio vulneratus, voto Deiparæ VVeyerensi nuncupato, sanatur.

SEries miraculorum veterum VVeyerensium vt olim descripta nos iterum ad puerilem reuocat ætatem. Puerulus alius de more illius ætatis è Quasillo aut Calatho, in quo Alabri, Girgilli, Voluæ, Verticilli, & reliqua supellex filatoria, & glomeratoria recondi solet, præacutum è durissimo tornatum ligno fusum, quo ad ducenda fila mulieres vtuntur, exemerat, quo cum ex alto ruens, totum collum ac iugulum medium traiecit ac perforauit. Actum iam de eius vita omnes asserebant; rogandum duntaxat Deum, vt abbreuiatis doloribus mox finiat ipso dolore miseriorem vitam.

Infortuniū paruuli rarò auditum.

Rebus ergò humanis desperatis, ad opem diuinam pij vtique infantuli parentes sibi recurrendum esse existimant. Cum lachrymis insuper in genua prouoluti, supplicesq; in cælum palmas tendunt, & apud virginem humani generis singularem Patronam calamitatis suæ leuamen exquirunt, cui se, suaq; omnia iam pridem deuouerant & consecrarant. Voti igitur Deiparę VVeyerensis Basilicam, tot beneficijs per Virginem collatis in omni circumuicinia famosam cum munere honorario deuotè inuisendi se simul, ac puerulum filium reos constituunt. Nec pijssima Dei Mater in se tanta fiducia sperantes deseruit, nec euentus vota Parentum fefellit. Eadem nimirum hora puer ex vulnere sine omni Chirurgorum medela conualuit, & parentibus insigne gaudium peperit, & Dei Matris in afflictos benignitatem, præsertim cùm Parentes votum in sacra Ǣde adimplerent, maximoperè illustrauit.

Supplicatio parentum ad Virginē.

Voti efficacia.

CAPVT XVII.

TRIDVO AGONIZANS, CVM VITAE PROrogatione sanitatem pariter indipiscitur.

1. Reg. 2.

DOminus est, qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit; aiebat Samuelis Prophetæ Mater. Et verè sic res habet. Id probat is, de quo iam nobis sermo, Godersdorffensis inquilinus, cui Deo Optim. Maximo ad eius animæ salutem disponente, grauis infirmitas ingruebat, qua cum diu multumque colluctatus, eò deuenit, vt viribus corporis omninò deiectis, iam iam animam agens, vitali calore membra destituente, sensuum omnium amitteret functiones. Desperata itaque à rerum peritis corporis salute, vt illi, quæ potior est, animæ saluti consulat, sacerdos aduocatur. Officium suum pastor exequitur, & moribundam ouiculam de more Deo, diuisque impensius commendat. Iacet miser sine loquela, & sine vllo vitæ argumento alio, præterquam quòd tenuissimum flatulum ex imo pectore eductare, modiceque admodum, & imbecilliter spirare admota de more siue manu, siue candela, siue plumula, visu tactuque sentiretur. Cognati præsentes, ac vicem eius miserantes, Deum cum lachrymis orant, vt eum, aut feliciter corporis ergastulo eductum, Angelorum manibus transferat in locum refrigerij, beatitudinis æternæ; aut certè, si ita eius diuinæ prouidentiæ consultum videretur, & vita, & pristina redonaret sanitate. Vota insuper Virgini VVeyerensi spondent, ac precibus instant.

Voti Deip. Virgini pro aliis etiam nuncupati efficacia.

Nec cassæ preces, nec irrita vota: nam patulas vtrisque præbuit aures misericors & miserator Deus, & insuper annuit Misericordiæ sinus Gloriosa Dei Mater: Exacto iam in agone triduo integro, & eò amplius, ægrotus ad se redit, vitam à virgine Gloriosa, voto sibi impetratam agnoscit, votum approbat, eodemque semet onerat, & insuper sanitatis restitutionem prolixiori lucis huius vsuræ superaddi postulat.

Agonizā is reditus ad vitam.

Quàm verè, vt Legistarum vulgare Axioma iactitat, *Accessorium sequitur naturam principalis:* Ex eodem namq; temporis puncto morbus omnis & lãguor euanuit; virium naturalium accremento, debilitatem præteritam penitus expulsam, cũ fœnore reponente. Intelligit ergò voti ac precum compos; sicuti aquæ ablutio, ad emaculandas vestium sordes, & ignis

Vtilitas afflictionum, simile.

exitio, ad absumendam ferri rubiginem, separandamque auri argentique scoriam adhibentur: sic graues eiuscemodi morborum molestias à Deo immitti ac dispensari, vt aboleantur; atque ad purum excoquantur tam pœnæ, quàm culpæ scelerum admissorum.

CAPVT XVIII.

MORBO COMITIALI GRAVISSIME AFFLICTA fœmina, voto liberatur.

EST Dei Mater, vt S. Ioannis Damasceni elogio vtar, *ægrotantibus officina medicinæ, fons perennis curationum; remedium aduersus Dæmones, & ciuitas refugij omnibus ad se confugientibus*. Quis obsecro id non est expertus? Steinacensem fœminam, comitiali morbo supra modum grauiter laborantem in theatrum publicè produco: Ea non semel, sed sæpius de die, fulmine velut icta, morbo irruente sontico, prosternebatur; Caput & membra horribili aspectu, pauimento allisa, vulneribusque concisa, luridum pallorem cruori miscebant; spuma ex ore vibrata, insani humoris per viscera sæuientis atrocitatem satis superque prodebant. Rugitus terribilis, vlulatui formidoloso adiunctus, cruciatuum magnitudinem exhibebant. Vt multa paucis vno fasce complectamur: supra modum deformis omnium membrorum vsu destituta, non semel, sed sæpiùs interdiu grauem adeò, ipsoque aspectu abominabilem paroxismum subire, ac perpeti cogebatur. Nec remedium, licèt curiosè apud varios medicinarũ gnaros variè inquisitum, aliundè apparebat.

Orat. de Dormit. Deiparæ.

Sontici morbi qualitates & grauitas.

Inoleuerat apud pios, sincereque Catholicos veteres Germanos, vt si quando clades aliqua aut calamitas subito aut insperato casu ingrueret, opis caussa, diuis tutelaribus suis, vel ex armentorum, vel ouium gregibus, aut vaccam, aut ouem deuouerent: Eæ deinde à Præpositis Ecclesiarum, colonis & inquilinis locorum, hoc onere elocabantur, vt vnam pluresue ceræ libras illi Ecclesiæ, perpetuis deinceps temporibus annuatim penderent. Hinc vaccis & ouibus sacro loco peculiari voto attributis, nomen inditum: Jmmerkuhe & Jmmerschaffe/ id est, vaccæ & oues perpetuæ.

Vaccarum perpetuarũ & ouium apud priscos Germanos consuetudo.

Ergo mulier illa insanabili morbo fœdè affecta, in diuæ Virginis Veyerensis Ecclesia perfugium constituit suum, eiusque nomini optimam è toto armentario stabulo suo, fœcundissimamque vaccam iure perpetuo dicauit. Donum afflictæ fœminæ gratiosa Auxiliatrix, & grataner suscepit, & fructu correspondente illicò adæquauit. Dispulsus ex eodem momento morbus omnis ægrotam sic ex amussim deseruit, vt nec vnquam toto vitæ tempore rediret nec vllum eius posthac amplius

Doni votiui virtus haud diu dilata.

vel minimum vestigium appareret. Illustre beneficium Virginis condigna gratiarum actione meritò rependendum, & immortali memoriæ iugiter consecrandum.

CAPVT XIX.

PARTVRIENS A DVPLICI PERICVLO ABortus & interitus liberatur.

Tractat. in Psalm. 21.

INtelligat homo medicum esse Deum, inquit S. Augustinus, *tribulationem medicinam ad salutem, non pœnam ad interitum*. Nam sicut medicus vulnus infligit, vt extracto corrupto sanguine violatam valetudinem aut pristinæ vindicet sanitatis integritati, aut illæsam in vigore suo conseruet, ac tueatur: sic Deus omniuarias clades & infortunia immittit, vt aut hominem corrigat, & aberrantem à salutis tramitē in viam reducat; aut recto calle iam progredientem alacriterque pergentem tantò securiùs in finem dirigat, & ad exoptatissimum terminum eius, quæ sursum est, patriæ portumque salutis æternæ perducat.

Simile. Tribulationibus quid Deus intendat.

Experti sunt medicam diuini Numinis manum duo coniuges, & pietate in Deum, & cultu atque deuotione singulari in Deiparam Virginem eximiè flagrantes. Alter ferro doloris, alter mœroris vulnerati, non ad nocumentum, sed ad salutis emolumentum: vxor vterum ferens, doloribus partus integris aliquot diebus excruciabatur; fœtum tamen Lucina parum fauente in hanc vitam promouere nequibat: Nemo non inter adstantes mulierculas eum iam in visceribus matris omninò extinctum credebat. Illud vnicè dolebant, si absque regenerationis lauacro, & pignore hæreditatis æternæ decessisset; Quod & vtrumque parentem maiorem in modum angebat. Præcisa spe omni vitæ tam Matris, quàm prolis, recurritur ad opem Reginæ Matris misericordiæ, votum oblationis & visitationis VVeyerensi Ecclesiæ exoluendorum decernitur & assignatur; Auxilium eius quàm feruentissimis precibus ardentissimè imploratur. Nec mora. Fœtus in vtero materno quasi reuiuiscens, insolitoque motu exiliens vegetæ adhuc vitæ euidentia signa obstetricibus pandit. Hortantur ergo parturientem, bono sit animo, cœleste auxilium prę stò adfore. Nec vanum aut ludricum erat solatium: nam dicto citius haud graues dolorum aculeos persentiscens, res mira, lætissimo partu filium effudit, quem illicò vlterioris periculi metu sacro Baptismatis fonte regeneratum voluere, tam Parens, quàm puerpera Mater.

Partus dolores diuturni periculosi.

Fœtus iam in vtero matris extinctus reuiuiscit.

Sospes Filius parentes immenso & incredibili gaudio afficit; quod ta-

Noua puerperæ calamitas.

men non diu stetit: nam paucis interiectis diebus mater puerperio adhuc inhærescens, pestiferam in febrim incidit; ex qua cum rationis vsu spem omnem vitæ amittit ipsa; Maritus autem pusillanimiter animum despondet. Posthabitis tamen humanis auxilijs nihil omninò profecturis ad sanitatem à naturali medicina denuò properat, immò & prouocat ad gloriosæ Virginis præsidium plus quàm naturale. Ac tametsi charissima consors ritu Christiano sæpius in manus porrecto ardente cæreo, iam iam animam efflatura videretur; nihilominus tamen cum argenteo dono cæræ libram in sacra Aede offerendam spopondit. Non respuit Deipara pollicitum donum; nec misericordiam suam auertit. Eadem hora mulier ad se reuersa discretè loquitur, cibum potumque, cuius iam multis diebus expers manserat, petit, refecta vires paulatim recuperat, & vnà cum marito Domui sacræ, imò in ea adiutrici Matri Virgini se, filiolumque sistens, debita gratiarum actionis peractione, collatis beneficijs ad plurimorum ædificationem, atque ad cultus Deiparæ feruentius studiũ inflammatione respondet.

Miraculum alterum.

CAPVT XX.

INCENDIVM PERICVLOSVM MIRE EXtinguitur.

QVI amplissima possident nutriuntque plantaria, arbores alias eradicant & transferunt, alias putant & præcidunt, alias circa radicem fodicant, vt sterilitate depulsa vberiori fructu fertilescant. Haud secùs Agricola ille cœlestis cum hominibus agit, quos in horto Ecclesiæ suæ plantauit. Alios è prospera fortuna, tamquam è pinguiori solo transplantat in macilentiorem aduersitatum sortem: Quosdam in hoc illoue statu diuina vocatione sua reponit: quosdam præcidit, aut falce afflictionis, dum morbos immittit, aut cultro iacturæ temporalium bonorum à superfluis expurgat, ac demum è calamitatibus ereptos vberioribus gratiæ suæ muneribus impinguat.

Simile.

Agricolæ cœlestis circa hominũ salutem mira dispositio.

Id cernere est tum in alijs iam descriptis, tum verò etiam eo in casu, quem modò recensituri sumus. Incola erat in Pago VVeickenreüt locuples vtique & possessionibus copiosus. Tanta porrò eius non erat felicitas, vt æmulorum inuidia carere posset. Horum ergo virulenta maleuolentia eo audaciæ, quin imò & sceleris processit, vt clanculario incendio ad aliquem saltem paupertatis gradum adigere cogitarent.

Nox intempeſta, vt commodior ad perpetrandum maleficium deſignatur. Vniuerſis igitur prima in vigilia altiori ſopore oppreſſis, flammam ædibus eius ſubijciunt. Parua mora; & ecce tota domus incendio corripitur. Fit ingens fragor, excitatur is, cuius res maximè agebatur, ſuccenſæ domus Patronus, necnon & tota vicinia metu perculſa. Flamma viri ſtatura altiùs iam ſupra tecta euolabat. Deſperantibus cunctis fieri haud poſſe, vt vllo humano iuuamine domus ab interitu ſeruetur, poſſeſſor in genua prouolutus, VVeyerenſis Deiparæ Patrocinium lachrymabundis oculis implorat, & votum conſecrat, ſi ipſa cœleſti ope incendium reſtinguat. Dictum factum. Extemplò ignis flammam in ſeipſum retrahens quaſi comprimitur, & ſubſidens cunctis inſpectantibus, vltrò extinguitur. Obſtupeſcunt prodigij ſpectatores, ac diuinæ Virginis VVeyerenſis tanta procliuitate ad ſe in rebus aduerſis atque dubijs, clamantium ſuſpiria, & gemitus exaudientis magnificentiſſimè deprædicant encomia. Quæ res VVeyerenſis Eccleſiæ dignitatem non parum apud conuicinos auxit, & confirmauit.

Ignis præter naturā ſeipſum à ſua retrahit natura.

CAPVT XXI.

SVRDVS AVDITVM RECVPERAT.

NEc mirandum, nec teſtatum minùs, quod ſubijciam. Gundlicenſis quidam accola, vtraque captus aure, nihil admodum audiebat; ſic prorſus, vt non tam verbis, quàm nutibus cum eo agendum foret. Is ante obſtructas morbo aures de admirabilibus VVeyerenſis Deiparæ rebus rumore nuntio multa cognorat. Tandem igitur poſtquam in corporalibus medicinis nihil opis eſſe apparuit, ægrum morbo animum ſubijt fiducia præſidij virginalis. Ergo haud dubia ſpe erectus, voto dicato defectum ſuum Virgini tranſmittit, & Virginis medelam ſibi viciſſim cœlitus remitti poſtulat. Et ſanè hic præſentiſsimum morbi remedium inuenit: Ex illa namque hora, aurium vſu recepto, qui ſurdaſter antea neminem penitus intelligebat, alijs haud paulò acutius audiebat.

Hic iterum Archiatra humani generis Dei Mater in officina ſua medicamentaria, in domo, inquam, VVeyerenſi præclarum ſpecimen artis miſerendi, ac tribulationibus vexatorum preces exaudiendi palàm exhibuit, vt filij exemplo omnes laborantes & oneratos poſt ſe trahat, *Venite*, inquiens, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos.* Reficiam, inquam, per Filium meum, veſtrum Saluatorem, in quo vnico vera & vnica, & extra quem nulla eſt ſalus. Quis ergo ſalutem deſperet, cui ſpes ipſa ſalutem ſpondet?

Archiatræ cœleſtis iuuandi promptitudo.

Matth. 11.

CAPVT XXII.

DESPERATAE SANITATIS FOEMINA curatur.

VT nautæ, cùm in tempestate Geminos vident, spem magnam concipiunt, & alacritatem: Sic nos rerum aduersitate oppressi, dum oculos attollimus ad amabilem, beneficamque totius humani generis Præsidem & Aduocatam. Nullum quippe tam grande malum, nulla tam atrox calamitas, quam eius maternus amor à deuotis cultoribus suis nō facilè dispescat, nulloque negotio abspellat. Euincat incredulos, quod subnecto, siue miraculosum beneficium, siue beneficum Miraculum.

Simile.

Malorum omnium propulsatrix B. Virgo.

Selbicensis matrona insanabili oppressa morbo, diutinaque febris tabe consumpta iacebat. Vrgente ergo vi mali haud procul aberat à meta vitæ; Iamque Sacerdos animam eius Christianis mysterijs communitam statis & solennibus precibus Dei diuorumque tutelæ impensiùs cōmendabat. Sed ecce moribunda iam fœmina ad extrema properante, occurrit circumstantibus cognatis VVeyerensis Ecclesia miraculis inclita, quam & ipsa sæpius ægrota, cùm per occupationes licuerat, deuoto affectu visitatū iuerat. Conspirantes igitur vnanimi consensu pro illius salute vouēt Missæ sacrificium, & vaccæ præstantioris, quam suo illa alebat stabulo, Ecclesiæ vsibus perpetuis seruituram oblationem. Nec spes irrita fuit, nec votum in ventos abijt. Quæ modò destituta omnibus iacebat sensibus, quasi reuiuiscens, apertis oculis, liberiùs meante iam spiritu loqui cœpit, & conceptum à cognatis adeundæ VVeyerensis Virginis, ac promissa oblatione honorandæ votum approbauit, & viribus aucta è lecto surrexit, cunctis, qui aderant, rei admiratione obstupefactis. Paucis inde interpositis diebus, planè conualuit, & vt primùm per valetudinem votiuæ peregrinationis iter exequi vtcunque potuit (adeò incensa erat voti exsoluendi cupido) sacram Domum petit; quò vbi ventum est, Deo Deique Matri impensè actis gratijs, votum alacris gaudio impleuit.

Votum aliorum pro agonizante exauditum.

CAPVT XXIII.

ALIA FOEMINA EX AGONE VALETVDINI restituta.

PRæcedenti non absimile, quod modò commemorabimus. Selbicēsis alia matrona acerrimis, ac penè perpetuis membrorum omnium

dolor bus miserrimè lancinata decumbebat. Itaque desperatis medentiũ auxilijs, iam non tam cum morbo, quàm cum ipsa morte præ cordis foribus pulsitante, aduentumque suum denunciante luctabatur. Qui aderãt adstantes, cæreo ex more in manus dato aliud nihil, quàm animæ exitum operiebantur. Alijs de funere & exequijs sermones miscentibus, aderat inter cæteros persona quædam Marianæ deuotioni cumprimis addicta; Quid si, inquiens, cùm eam tam diuturnum agonem certare conspiceret, Deus virginis Matris precibus flexus, aut eius angustias decurtet, aut in melius commutet? quid vetat, quò minùs VVeyerensi Diuæ votum pro eius incolumitate nuncupemus? At non auditur; sed exploditur, & sibilo excipitur, cùm videretur Paradoxa, & adynata loqui. Perrexit nihilominus & perfecit, quà monitu, quà rogatu, vt sibi adstipularentur præsentes vniuersi. Vouetur itaque sanctissimum Missæ officium, & Peplum Deiparæ Virginis Itari applicandum.

Votum alicuiam iã agonizanti releuat.

Nec votum inane aut irritum cecidit. Ad se redijt mulier, cœlesti quodam gaudio, admirabilique iucunditate perfusa, vt satis appareret oblatam ei cœlestem aliquam speciem, è cuius aspectu tantam mentis voluptatem hausisset. Vt enim medici, postquam vsserunt, & secuerunt satis, & vulneribus, licèt iam alligatis, non statim tamen ægrum dimittunt, & eius curam deponunt, sed & benigna fomenta, & acopa adhibent, & cataplasmata doloribus mitigandis apponunt: Sic Deus illos quos ferro & igne tribulationis satis purgasse videtur, sacrosanctæ Matris suæ intercessione iam quidem adiutos, è paterna tamen cura sua tam facilè non simul excidere, sed internis quibusdam superadditis alloquijs & inspirationibus fouet, & manu tractat, quod dicitur, molliore, cùm eos dulcedine quadam humanis sensibus inperceptibili, vt hanc quoque fœminam, affluentissimè perfundit.

Simile.

Dei mira benignitas in eos, quos eripit è tribulationibus.

CAPVT XXIV.

PVER MENTIS INOPS AD MORTEM DECVMBENS voto curatur.

Omnium & fluuiorum impetus tendit in Oceanum: miseriarum omnium decursus iam ab ineunte infantia effunditur in vitam nostram. Liquet exemplo Mollerfreuttensis pueri, qui cùm ab ipso matris vtero variarum ægritudinum telis expositus, plurimos, diuina sic circa eum ordinante prouidentia, dolorum aculeos sustinuisset, pluriesq; sanitatem recepisset; tandem tamen, vt miseriarum cumulus accresceret, grauissima obrutus febri omnem rationis sensum & loquelæ vsum amisit.

Simile.

sit. ndoluerant iam sæpiùs lamentabilem eius vicem parentes. Nunc tot incrementis aucto malo, & iam tertium durante mensem, quid ni vehementius condolerent? Exquiritur hinc consilium, illinc expetitur auxilium; nemo reperitur, qui alterutrum impertiatur.

Ergo ad vberrimum omnis gratiæ & misericordiæ fontem recurritur, vnde solatium omne in rebus dubijs & afflictis à fidelibus hauritur. Maria humani generis apud diuinæ Maiestatis Thronum potentissima Aduocata in partem leuaminis ac subuentionis multis precibus vocatur & exoratur. Nam cùm primùm mœstissimi Parentes voto duplici sacro eius VVeyerensi domicilio sese obstrinxissent, & post tremendorum mysteriorum sacrificia duo, Christo Seruatori in honore Matris, & S. Annæ Auiæ eius diuersim offerenda, viui etiam animalis donum promisissent, ex illa hora res pueri cœpere meliorari, mania omnis euanescere, vires corporis augeri, & sanitas amissa prosperiori, quàm vnquam antea, successu reuerti.

Recursus afflictorum ad Virginem.

Vota sacrificij Missæ.

CAPVT XXV.

GEMELLI A SONTICO MORBO LIBERATI.

DVM pluuia ingruit, aut horrida tempestas sæuas grandines impetuososque procellarum turbines comminatur, ad tecta confugimus ac tutiora latibula quęritamus: Sic quoties rebus aduersis premimur, & infaustis huius vitæ casibus exacerbamur; Quid ni opem, & auxilium ibi venemur, vbi nos assecuturos confidimus? Quærat quis, vbicumque lubeat quærere, extra Deum nunquam inuenerit, extra Virginis Mariæ apud Deum promotionem licèt inuenerit, per se solus tamen nec ita facilè impetrabit. Instruimur exemplo fœminæ cuiusdam Enichenreuttensis. Hæc vno partu duos fuderat Gemellos, quos toto puerperio sanos & incolumes aliquo vsque prouexerat. Verùm non multò pòst caduco morbo vterque grauissimè affligitur, vt nemo eos sine compassione, aut lachrymis aspicere posset. Adhibentur media vniuersa, quæ humanitus poterant excogitari; Et forsan illicita quoque, & superstitiosa ineptarum muliercularum deliramenta, vetitaque Amuleta pro consuetudine haud omittebantur: sed omnia in irritum cecidere.

Simile.

Remedia superstitiosa morbos non tollũt.

Vbi ergo humana deficiebant auxilia, ibi defectũ supplere oportebat cœlestia Virginis Matris præsidia. Vouetur ad VVeyerẽse Virginis domiciliũ vnà cum oblatione, siue aurea, siue argentea, SS. Missæ officium.

Quo euentu? Disparet comitialis morbus ; vterque Infantulus sanus & incolumis parentibus restituitur. AEs alienum voti ritè dissoluitur , & magnalia beneficiorum Deiparæ VVeyerensis passim deprædicantur.

CAPVT XXVI.

ALIA FOEMINA E MORTIS FAVCIBVS eripitur.

Psalm. 144

VT *prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate:* Ita & Dei Mater neminem in rebus afflictis opē à se postulantem repellit Meritò hanc nobis fiduciam ingeneret, ingeneratamque firmet ac roboret Exemplum fœminæ in summis totius corporis, atque omnium membrorum cruciatibus aliud nihil certius , quàm vicinā mortē expectantis. Hinc laniabant intolerandi dolores; illinc horribilis alterius vitæ, & rigidissimi tribunalis, ac rationis reddendæ pauor perterrefaciebat. Mortē euitari haud posse sciebat, tametsi vita prorogaretur: Mori autem tunc temporis formidabat; nam se necdum ad iter alterius vitæ satis instructam animaduertebat.

Mortis timor ob imminens iudicium particulare.

Auxilium itaque inuestigabat, vbi se inuenturam sperabat; ad virginis tutelam confugit, votum VVeyerensis eius AEdis deuotè inuisendæ mente concipit, ore pronunciat ; vbi primùm per valetudinem liceret, accuratè persolutura. Nec voti efficacia diu multumque differtur ; sed eodem protinus momento ægra periculo eximitur, læsa valetudo nouis viribus instauratur. Votum itaque perficit liberatrici, salutis & vitæ suæ vindici voto satisfaciens, gratias agit, & sibimet, & miseræ animæ suæ vel ex ipsis Orci faucibus ereptionem congratulatur.

Celer Virginis inuocatæ succursus.

Sit nobis in simili necessitate constitutis vnicè cordi, eodem zelo ad Matrem gratiæ properare, & cum Ecclesia succursum eius implorare: *Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus ; sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo benedicta.*

Ecclesia in Antiphona.

CAPVT XXVII.

PVERA NOVENNALI DEFLVXIONE CATHARRI INexiccabilis persanatur.

Pueri morbus aspectu horribilis.

NOuum in alio genere mali puer auxilium experitur, qui patiebatur defluxionē è capite adeò fœdā, adeò abominabilē, vt non solū

faciem

faciē eius plurimū deformaret; sed & intolerabilem fœtorem exhalaret. Quin etiam salsedine sua vultum exederat, atq; vna quodammodo concretæ purulentiæ, & saniei crusta obduxerat, & elephantiaca ad speciem lepra deturparat. Nouennium integrum durauerat malum; at nemo se pueri Parentibus offerebat, qui efficax medium fructuosamq; medelam exhiberet: tentata namq; frustrà iam erant omnia, quę ad desiccandum fluoris illius originem saltem quadamtenus seruitura existimabantur. Sed dum medicamen inquiritur, ibi sine dubio inuenitur, vbi vterq; parens voti sui compos redditur.

Audiunt mira prædicari de VVeyerensi Virgine; hic gloriatur sese de isto, alius ab alio malo eius apud Filium intercessione mirabili euentu liberatum. Ergo & votum pro filio dicant, & eadem nocte malum omne à filio propulsatum experiuntur. Votum, quod vouerant, incunctanter reddiderunt, & Benefactricem perpetuis laudum præconijs extulerunt.

Malorum omniū propulsatrix Virgo.

CAPVT XXVIII.

INCENDIVM PAGI MIRACVLOSE PRAECAVETVR.

Sicut nautis vel eminus conspecta Pharus lucem præbet, & solatium adfert: sic insperato aliquo infortunio oppresis animum addit, & confidentiam excitat, ac nutrit, oculis mentis interioribus contēplari misericordiam Potentissimæ Mundi Dominæ, cœlorum terrarumque Reginæ. Non est, quod è longinquo exempla petamus; Domesticum in promptu est.

Simile.

Asylū Misericordiæ Virginalis.

Nefarius quidam, & sceleratus tenebrio incendiarias litteras Hohenbergensis communitatis indigenis scripserat: publicisque in locis, vt facilius inueniri, & legi possent, affixerat. Ijs præcipuè continebatur, non solùm vniuersas totius pagi domos & horrea ad ipsa vsque fundamenta insperata deflagratione sese certo certius exusturum; sed & vbicunque ex incolis quempiam offenderet, trucidaturum. AEstimatu facile est, quàm hæc nuntia omnium, quos tota illa communitas complectebatur, animos perculerint atque exanimarint. Communi igitur suffragio, consilioque communi peregrinationem vouent ad Domicilium Virginis VVeyerense. Ibi impensiùs orant, & obtestantur, vt tantum malum à communi patria, & habitationibus suis potentissima tutrix auertat. Quod orant suppliciter, exorant feliciter, impetrant efficaciter.

Incendiarij minaces literæ.

Domum itaque reduces, diuersis in locis igniaria fomenta, incendiarios funiculos, & lichnos tormentario pulueri applicatos, antea

Admiranda ab incendio pręseruatio.

quidem accensos; sed iam, igne quidem aliquantulum gliscente propemodum extinctos. Aliud insuper auxilium est subsecutum. Non ausus est posteà sceleratus ille (res mira) iterum tentare, à quo Diuina vi, Clientes suos, virgine protegente, absterrebatur. Perijt infelix, alienæ vitæ, bonorumque vastator; seruantur, quos Seruatrix humani generis Dei Mater cum facultatibus in vita seruatos auebat.

CAPVT XXIX.

PVER VITA FVNCTVS AD VITAM REDIT.

Conueniunt rebus nomina sæpè suis.

GLoriosissimæ Virgini, Reginæ & Patronæ totius humani generis quàm scitissimè quadrant honorum tituli, quibus ab Ecclesia condecoratur. *Vita*, appellatur: à S. Bernardo, *Mater vitæ*, nuncupatur. Et verè *Vita*, ac *Mater vitæ*, quæ illum in hanc produxit vitam, *per quem viuimus, mouemur, & sumus, in quo vita, salus & resurrectio nostra; in quo vita erat, & vita erat lux hominum.* Verè vita, per quam nobis illa vita, quæ perennis est, summum bonum nostrum, æterna & vera vita. Verè vita, per quam mortuis etiam restituitur hæc vita, quæ tamen non est vera vita; sed iter & peregrinatio quædam id illum, qui dicit, *Ego sum vita: apud me est fons vitæ.* Quis, ô Domine, apud te est fons iste? haud dubiè gloriosa Mater tua.

Maria Mater vitæ.
Ser. 2. de aduentu Domini.
Actor. 17.
Galat. 6.
Ioan. 1.
Ioan. 8.
Psalm. 35.

Quod assero, quod attribuo Virgini, Matri vitæ, illa cùm sæpius aliàs, tùm vel maximè in Tregastensi Puero Piscatoris filio luculentissimè probatum dedit. Is graui, diuturnoque morbo oppressus, summo Parentum dolore emigrat è vita. Cognatis porrò vnà cum matre amissam eius lugentibus vitam, Parens de recuperanda non omnino desperat vita: sed vitam implorat, dum matrem misericordiæ inuocat, vt Filio mortuo amissam vitam restituat; votum addit aureæ oblationis ad sacram eius VVeyerensem Basilicam; spōdet perpetuam tanti Beneficij memoriam, & gratiarum actionem. Quid vita illa, è qua hominum vita? an vitam negare potuisset pro filio petenti vitam? Non negauit, sed præstitit vitam. Extemplò namque defunctus puer redijt ad vitam, cepit loqui, cibum capere, sanus & integer esse, cum Parentibus Diuam VVeyerensem inuisere, & promissum pro vitæ suæ redditione munus offerre, admirandum à Matre vitæ impetratum Beneficium vniuersis propalare, vt munificentiæ eius præconia dignis laudibus concelebrentur.

Puer è vita decedit.

Vita puero miraculosè reddita.

CA-

CAPUT XXX.

NOBILIS VIRGO EX TRIMESTRI AGONE liberata integram recipit sanitatem.

NOta est è Franconiæ Nobilitatis Equestri Ordine Nobilissima & antiquissima Guttenbergiorum familia, cuius arces aliquot, & Domicilia Equestria, immò & ipsum Originarium Castrum, Guttenberga, opimis possessionibus locupletata, non ita procul distant ab AEde sacra VVeyerensi. Virgo itaque ex eadem Nobili Prosapia oriunda memoratur inter alia Beatissimæ virginis miracula, quæ decimo septimo ætatis anno trium mensium spatio à Paschate vsque ad S. Albani festum lethifera continuaque febri, alio periculoso Symptomate alteri superueniente, sine omni spe rediturae aliquando sanitatis integræ lecto inseparabiliter affixa decubuisse. Non parcebant vtique sumptibus Parentes, qui filiam vnicè Charam sanitati pristinæ restitutam modis omnibus exoptabant; nec quod parcerent, erat, cùm diuitijs inter alios Nobiles conuicinos abundarent. Erogatur in medicos pecuniæ vis incredibilis; Nihil efficitur, in mare seminatur; Morbus de die in diem ingrauescit magis magisque; res omnis ad triarios, quod aiunt, deuoluitur: tàm enim atroces dolorum stimuli, tàm graues infirmitatum accessiones morbi sæuitiam quotidie augebant, vt Medici protestarentur, se tale quid in vita nec vidisse, nec audiuisse, nec legisse; adeò omnia artis medendi experimenta à malignitate inualetudinis illius superabantur.

Diuersi morbi Virginem opprimunt.

Frustranea humanorũ mediorum adhibitio.

Valedicitur ergo humanæ spei, & medicis, & eorum Alexipharmacis tã à Virgine, quàm à parentibus nuncius remittitur, atq; ad Diuinam cœlestis Numinis opem conspirantibus animis confugitur. Votum concipitur, ac Deiparæ VVeyerensis præsidio cum preciosiore infirmæ Virginis veste, & Cyclade holoserica in sacros illius Ecclesiæ vsus cõuertendis adstringitur.

Donarium Votiuũ holosericæ vestis.

Nec mora: Virgo virginum cælitus miseretur virginis, suauissimumque, quo iam multis diebus & noctibus destituta erat, soporem immittit. Is velut cœlestis aliquis Mercurius bono animo iubet esse Parẽtes; nec fallit: nam sub ipsa quiete Virgo quasi aliqua cœlesti visione maiorem in modum recreata, dulcissimè & effusissimè iucundari, ac ridere, & veluti gestire erga eos, qui se illi conspiciendos præbebant. Euigilans denique, toto corpore, & omnibus membris integra & incolumis surgit è lecto, parentibus intimat, cœlesti visione se recreatam, & sanitate donatam; vnicũ

Visio ostẽsa virgini ægrotæ.

nunc

nunc superesse, vt votum sine mora dissoluatur.

Monumẽti tabula picta.

Extabat huius miraculi euidens ac notabile testimonium in Tabula antiquo pingendi ritu, ac norma depicta, & sacræ AEdis parieti affixa. In qua nobilis hęc virgo virginem Deiparam sole amictam in brachijs puerum Iesum gestantem in medio Sanctissimorum eius Parentum Ioachim & Annæ supplex adorabat. Vnde satis apertè colligitur, eandem visionem in somno ipsi repræsentatam. Hæc eadem pictura nunc temporis loco sacri anathematis in sacristia asseruatur.

Tabula illa quomodo asseruata?

Mirabar ego Ill.mi & Reu.mi Principis ac Domini, Domini Ioannis Godefridi Episcopi Bambergensis, &c. tunc temporis Vicarius in spiritualibus, &c. cùm in totius Diœcesis visitatione hanc itidem Ecclesiam pèrlustrarem, quid rei obstitisset, quòd cùm Lutherani Euangelij Stentores omnia miraculorum testimonia, signa, tabulas, picturas, & Amuleta è medio sustulissent, dum hanc sacram domum per fas & nefas obtinerent, hoc vnicum tamen intactum reliquissent? responsum tuli à viris ætate grauibus, & fide dignis, atque oculatis testibus. Asserebant illi, Prædicantes, dum ligneam Pergulam in sinistro Ecclesiæ latere erigerent, cum alijs quoque vetustatis monumentis & hanc prope Altare S. Annæ ferreis vncis parietibus inclauatam picturam eadem opera remouere, exauctorare, ac perdere, flammisque absumere voluisse: Verùm Nobiles è Guttenbergica familia Equites, qui tunc temporis in viuis erant, tametsi à Catholica Religione iam recessissent, prohibuisse tamen, & minis Euangelicum Præconem, ni parceret, tabulamque loco suo reponeret, absterruisse. Hoc vnum priscæ Pietatis monumentum pestifera Lutheri contagio è tanta multitudine nobis superstes reliquit; Cætera omnia, O nefas, O scelus, perfidè destruxit, perdidit, extinxit.

Hic finis est miraculorum in ea, quam suprà memoraui, vetustatem redolente, atque anno salutis Millesimo quingentesimo decimo, antequam Lutheri secta emergeret, conscripta membrana contentorum.

CAPVT XXXI.

CAPTIVVS APVD TVRCAS VOVENS DEIPARAE VVeyerensi præsentaneo miraculo liberatur.

QVod modò commemorabo diuinum prodigium ab hominũ memoria contigisse fide dignissimis testibus, atque miraculi Argumentis, quæ in Ecclesiæ sacrario asseruantur, comprobatum, ab ipsis etiam Lutheranis circumuicinis tam validum & irrefragabile testimonium veritatis accepit, vt nemo sit, etiam ex Prædicantibus, qui con-

tradicere ausit. Ciuis Leogastensis, honesti viri filius, militiæ nomen dederat, & sub inuictissimo Imperatore Carolo Quinto in Vngaricis contra Turcas expeditionibus non paucis annis stipendia meruerat; nec infeliciter: nam multis perfunctus periculis, ad officia militaria per gradus inferiores iam iam ascendebat, atque ad Capitaneatum aspirabat. Vt porrò varia est sors, euentuumq; bellicorum mutabiles vicissitudines, in velitari pugna à Turcis capitur, Belgradum adducitur, ac ferreis nexibus, & compedibus in collo, brachijs, & cruribus grauiter oneratus, in horribilem carcerem detruditur. Adduntur indies grauiora tormenta, & cruciatus incredibiles, vt diues litrum pro eius dimissione, & libertate extorqueatur. Quid ageret miser? à Christianis auxilium non suppetebat; nam procul nimiùm à Christianorum finibus abiunctus erat: à Turcis nec sperare, multò minùs petere audebat.

Miseriæ Captiui apud Turcas.

Ergo dum ad Deum & Cælites confugit, Deiparæ VVeyerensis conterraneæ, popularium magnæ Patronæ, recordatio mentem subijt. Quapropter concepta ingenti ad eius misericordiā fiducia, confidenter eo die vsque in multam noctē misericordiæ Matrem inuocat. Nec aerem verberat: nam eadem nocte precum, & Patrocinij Virginalis vim est expertus, qua propemodum integra precibus impēsa, Matutinum versus crepusculū altiore obruitur somno, profundissimeque indormiscit. Interea, nescius tamen, quid secum ageretur, è Turcarum finibus procul dubio à Sancto Angelo suo auehitur, & in patriam transportatus, ante Aram maiorem Virginis Gloriosæ in Basilica VVeyerensi adhuc dormiens collocatur. Nec euigilat, donec clara dies illucescat, & apertis Ecclesiæ foribus ad inusitatum spectaculum populus è vicinia concurrat. Tandem verò ad se rediens, immēsas libertatis suæ vindici Reginæ Deiparæ gratias refert, beneficium publicè deprędicat, omnesque præsentes ad tantæ Benefactricis amorem excitat & inflammat. Et ecce nouum miraculum priori superadditur. Catenæ, vincula, & compedes, quibus adhuc constrictus erat, ruptis seris & repagulis, ex seipsis, non adhibita hominis cuiusquam manu, aperiuntur, decidunt, atque à corpore eius absiliunt; dixisses nouum hic, quo S. Petri liberatio quondam nobilitata, miraculum reuixisse. In eadem igitur forma, sicut captiui membra deseruerūt, inanimati quidem, sed veri miraculi testes, adhuc asseruantur, & non sine stupore à peregrinantibus Diuam VVeyerensem inuisentibus oculis conspiciuntur, manibus attrectantur.

Miraculū I.

Alterum miraculum.

Act 12.

Asseruatio cathenarū & ferreorū nexuum in testimoniū miraculi.

CAPVT XXXII.

CALVMNIA DE RECENSITIS MIRACVLIS discussa.

COlophonem huic libro,& veteribus miraculis daturus,atque extremam manum impositurus,vt emunctiorum narium Scioli quidã, aut potius hæretica maleuolentiæ tabe infecti Zoili confundantur,& cum calumnijs suis, quibus miraculosa eiusmodi Deiparæ Beneficia exagitare solent,pessum eant, nõ abs re facturus videbar,si,quod subacutè,haud sine sardonico risu,nobis obiectitare solent,& paucis & solidè disploderem, ac refutarem.

Querela inanis hæreticorũ de recensitis miraculis.

Si vera sunt,inquiunt,quæ à Maria vestra antiquitus patrata miracula memoratis; Cur,qui ea conscripserunt,nec Personarum , nec locorum, nec statuum, aut,quod maximè conueniebat, nominum peristases apposuerunt? Cur alias mille circumstantias Historiæ veritatem non parùm roborantes summa incuria omiserunt?Quis hic non iudicet, fucum facere, & rudioris ingenij homines ementita superstitiosæ pietatis imagine fallere,ac decipere voluisse?

Miraculorũ Virginaliũ præcipui derisores.

Sic impudenter, ac lasciuè in omnia Deiparæ Virginis,& Sanctorum miracula ludunt Chemnitius,Brentius,Osiander,Caluinus,Beza,& Luscomonoculus Pareus. Futilissima eorum scommata, & dicteria, quæ integris texunt Catalogis,hic retexere non est precium operæ. Quis enim lutum fodicando inani seipsum labore fatiget? Age; rem ipsam potiùs aggrediamur.

Calumniæ refutatio. Ioan. 11. Matth. 9. Luc. 7. Luc. 18.

Si ex eo capite,quòd miraculorum Deiparæ Virginis relatio quandoq; nominum, locorum,statuũ,Personarumq; circumstãtijs careat, istę vobis improbantur historiæ,quid de compluribus Christi Domini miraculis,quorum paucissima,præter Lazari,Filiæ Archisynagogi,viduæ Naimitanæ vnici suscitationis à mortuis, & Bartimæi Cæci sedentis in via Hierichuntina illuminationem,vix vllum vllius personæ nomen exprimunt, dicetis? An cætera omnia,tanquam vana, friuola, falsa reijcietis? Quid de Apostolorum, de septuaginta duorum Discipulorum,de plurimorum aliorum Sanctorum miraculis sentietis? An ideò futilia, inania, & fide indigna videantur,quòd hac,vel illa careant circumstantia, dum recensentur;quòd huius, vel illius nomen silentio inuoluant? sic sanè totius Ecclesiasticæ,imò & Euangelicæ historiæ fidem euacuabitis,& omnẽ antiquitatis memoriam perfidè suffodietis,ausuq; temerario funditus euertetis. Quænam hæc frons?quis furor?quæ amentia vestra?

Pauca Christi & Apostolorũ miracula cũ omnibus Circumstantijs descripta.

Edissseram vobis, quid sentiam de miraculorum Deiparæ VVeyerensis

rentis hactenus recensitorum summario & compendioso Collectore. Illius temporis hominibus bonis, simplicibus, credulis, & fidelibus, qui nuda, & simplici rerum veritate contenti acquiescebant, prolixitatis tędium euitans, in Catalogum, &, vt Iuristarum vtar verbo, in Rubricam quodammodo tàm grandia, tàm stupenda redigebat miracula. sufficiebat hic nucleus & res ipsa fide & veritate suffulta; cortices circumstantiarũ in postremis habebantur.

Causa breuitatis in descriptione Miraculorũ veterum.

Sed veniam demus qui superioris, siue neglectui, siue simplicitati, quæ multa etiam in Illustribus personis patrata aut scriptis non consignauit, aut si consignauit, sine temporis & Personarum, aliarumque circumstantiarum adiectu obiter tantùm annotauit. Cur succenseremus? Cur indignaremur? Et S. Augustinus æuo illo, quo floruit, tàm curioso, quàm erudito scribit: *Multa ad memorias Martyrum facta ignoratione aut obliuione potius famæ excidisse; atque adeo in ipsa vrbe Carthagine euenisse, quæ Carthago nesciret.* Simile & nostro VVeyerensi Virginis Domicilio factum. Ignoscatur ergò simplici Pietati, quę suo, & præsenti contenta fructu, de posteritatis memoria nullam omninò cogitationem suscipiebat. Et hoc additũ volumus, vt nostrorum maiorũ cãdorem à culpa excusando aduersus Calumniam propugnemus: si præsciuissent, aut saltem præuidere potuissent illius ætatis simplices & candidi Teutones, futuris temporibus prodituros ex inferis tot Zoilos, tot Momos, tot obtrectatores omnium eorum, quæ Deus in honorem gloriosæ Virginis Matris suæ vbiuis terrarum iã ab initio nascentis Ecclesiæ in hunc vsque diem per tot miracula, & prodigia voluit designare, non dubitauerim, cura solertiaque maiori singulis histori js singulas etiam locorum, temporum, personarum circumstantias annotaturos.

Lib. 22. de Ciu. Dei, c. 8

Excusatio Candoris priscorum. Teutonum.

Sin autem tantoperè Circumstantias illas vrgetis, & ex illis totam ēmetiri veritatem satagitis; non abnuo, sed ad sequentem librum, vbi, quod flagitatis, ad singula Deiparæ Beneficia sat diligenter annotatum reperietis, vos remitto; Quinimò, si collubet, viuẽtes adhuc & nomine ten⁹ expressas personas examinare liceat, an hæc vel illa per interuentum Virginis Gloriosę à Deo acceperint beneficia, nec ne? Aient, & non negabũt. Quid amplius exquiritis? satis factum iam vestris est postulatis; Quid solidi præterea Miraculis Marianis obgannitis? Talpis haud immeritò cęciores iudicabimini, si quæ tàm sunt aperta, quàm comperta, tàm probata, quàm sensibus ipsis percepta, ita impudenter perrexeritis calumniari.

Miracula sequentis libri cũ circumstantijs descripta.

LIBER SECVNDVS.

BENEFICIORVM MIRACVLOSORVM DEIPARAE VVeyerensis.

CAPVT I.

FIDES MIRACVLOSORVM BENEFICIORVM Deiparæ Virginis VVeyerensis.

EX Gazophylacio pietatis & clementiæ, Augustissimæ Cœlorum terrarumque, Angelorum, & hominum Reginæ, vetera depromplimus siue Beneficia miraculosa, siue benefica Miracula. Hoc libro noua quædam publica luce donabimus, quæ à presentis sæculi supra Millesimum Sexcentesimum anno Nono vsque ad Duodecimum circiter contigerunt; Eaque ex innumeris paucissima: Compertum namque non è tonstrina, nec incertis vulgi rumusculis, sed certissimo fide dignissimorum hominum, imò & eorundem, quos id negotij concernebat, relatu, ab annis compluribus retroactis, iniquissimo etiam tempore illo, quo Lutherani Ministri sacra Domo ad putatiuæ Religionis suæ prophanum exercitium abutebantur, innumera propemodum varijs hominibus, non solùm Catholicis, verùm etiam Lutheranis, hùc vota sua destinantibus in omni necessitatum genere auxilia præstita, & exhibita sic omnium oculis illuxisse, vt hæretici Præcones omni conatu adhibito, & obiurgatis, repulsisque cum indignatione aduenis, qui votorum persoluendorum gratia tàm frequenter, tanto numero, velut apes ad aluearia conuolabant, à Virginis cultu vniuersum Orbem conati fuerint auertere, & absterrere. Sed casso & irrito labore:

VVeyerēsis Ecclesia Miraculosis beneficijs claruit eo etiā tēpore, quo à hæreticis antibus insessa erat.

Quic-

Quicquid enim Logoduli blaterones molirentur, quicquid calumniarentur, quicquid in seminiuerbij sui declamatiunculis diris omnibus vota Mariæ nuncupata deuouerent, & velut pessimam, imò detestabilem Idololatriam execrarentur, scintillam tamen auitæ maiorum pietatis, atque in Deiparam Virginem deuotionis in eorum cordibus adhuc superstitem, sospitem, spirantem ignescentemque nequibant extinguere; Sed quò acriùs Prædicantes obsistebant, tantò feruentiùs illi Deiparæ cultum fouebant, tanto inflammatiori studio ad expetendum Virginis auxiliarem subuentum accendebantur. Sic infernalis coluber in præambulonibus suis *calcaneo Mulieris insidiabatur*: Sic nefarium vicissim *caput eius à muliere, & eius semine proterebatur.*

Ministrorũ hæreticorũ conatus in opprimendo cultu gloriosæ Virginis.

Gen 3.

Creuerunt porrò beneficia, creuit pietas illa, & deuotio; creuerunt votiua dona, ab eo potissimùm tempore, quo piæ, & laudabilis memoriæ Episcopus Nythardus, quem iam altera vice honoris causa nominatum volumus, non solùm Lutheranum Præconem è sacra Domo exturbauit, sed & Catholicam Religionem, seductos subditos ad Ecclesiæ gremium reducendo, mirificè propagauit. Verùm eo breui postea ex hac vita in æternam illam, quam in cœlis expectamus, indubitata spe euocato, non erat, qui eiusmodi diuæ Virginis beneficia innumeris accurrentibus pręstita, aut describeret, aut vel mentionem eorundem facere auderet. O tempora! O mores! dicam potiùs; O Socordiam! O Christianæ pietatis algidum teporem vel ad vltimas vsque fibras exscindendum!

Miracula Deiparæ VVeyerensis reuiresƈunt à tempore Reformationis Diœcesis Bambergensis.

Mearum itaque pro officij, quod gerebam, ratione partium existimabam cordi sumere tanti rem momenti. Est enim signum atque argumentum tam euidens, quo Catholica Religio contra nostri temporis hęreses tam illustri nota constabilitur & firmatur, vt vel ipsorummet aduersariorum oculi sic à veritatis radijs præstringantur, ac hebetentur, vt ne hilo quidem, aut cassa nuce dignum quid ausint contra mutire, nedũ è Diametro contradicere. Ergo mandatum tum Sacerdoti, tum alijs, qui cum potestate præerant sacræ Domui, ne tam præclara, tamque illustria à Dei Matre hominibus præstita beneficia silentio tecta perpetua obliuione sinerent obrui, ac sepeliri; sed paulò attentiùs inquirerent, & coram Tabellionibus, ac testibus legitimè discussa, ac de veritate examinata, in publicas tabulas, & instrumenta redigi curarent. Paruerunt, ac morem ex parte gesserunt & pauca quædam describi curarunt, quæ hoc libro cum alijs nonnullis, Authentica itidem fide authoritateque roboratis, haud equidem superuacaneis, veritati tamen omninò consentaneis verbis paulò fusiùs prosequemur: Et sicut illorum patratione Matris suę dilectissimæ honorem contra hæreticorum conuicia, & blasphemias, & intercessionis eius efficaciam aduersus futiles Hæreticorum contradi-

Miracula, illustris veræ Dei Ecclesiæ nota.

Miracula propugnãt cultum & inuocationem Virginis.

ctiunculas Dei filius inexpugnabili argumento propugnat: Sic nos eiusdem cultum, honorem, atque deuotionem contra eosdem maledicos obtrectatores, quantum in nobis est, defensabimus ac stabiliemus.

CAPVT II.

PVELLA TRIMVLA MERSA IN LACVNA in vitam reuocatur.

REM magnam, sed veram & veraci fama longè lateque diuulgatam, vt nemo eam in dubium vocare ausit, iam percensebo. Honestus ciuis Ioannes Hohenberger, opificio pannorum Tinctor, in Leogastensi municipio degit. Is anno 1609. in ipsius Penthecostes prouigilio negociorum causa peregrè cum vxore profectus erat, domi suæ cum familia relicta paruula trium annorum filiola. Hæc, siue non curantibus, siue non aduertentibus ancillis, & seruis, à limine domus paternæ incautiùs digressa in profundissimam, quæ parum inde aberat, lacunam prono capite ceciderat. Exactis aliquot horis, redeunt parentes; vbinam sit filiola, quam vnicam è multorum annorum Matrimonio susceperant, & quòd aduentantibus non occurreret, vt assolebat, haud sine subito pauore, ac trepidatione inquirunt. Negant domestici, negant ancillæ, negant, inquam, & pernegant à multo tempore se eam vidisse. Hic fletus, hic parentum eiulatus oriri; & tota vicinia concurrere, omnes quærere, & vbinam filiola lateat, peruestigare. Accurrunt ergo suspicantes, quod res erat, ad infelicem lacunam, & capite in limo fixam pedibus supernè elatis puellam reperiunt, quam iam pridem expirasse animaduertunt. Educunt nihilominus, abluunt, in terra deponunt; adstant mœsti, pectus aperiunt, an cor palpitet, & si quid adhuc animi insit, solicitè explorant; at iam pridem expirasse quotquot, & magno quidem numero aderant, omninò peruident, lamentatur pater ex impatientia, sui potiùs impotentia dixerim; capitis crines euellit Mater, & infœlicitatem suam, quòd vnica filiola, & tam miserabili casu priuata esset, Deum velut incusando, querulatur Mater animi spasmo irruente collapsa alterum penè funus. Vicini, quod pro illorum solatio afferrent, vix inueniebant, quàm vt de sepultura corpusculi defunctæ cogitarent, & consilium suggererent. Id quidem accessu Patris, haud inscia Matre, datur executioni; ad funus necessaria curantur.

Puellæ interitus in fouea aquis plena.

Nullum in ea vitæ signum apparet.

Funus adornatur ad sepulturā.

Sat multum temporis ab eductione iam lapsum erat, cùm vterque parens interno quodam instinctu ad D. Virginis VVeyerensis Patrociniū, atque apud filium interuentum expostulandum impellitur. Ergo vnani-

mi

m: voto defunctam paruulam cum precibus ardentissimis ex animo, vt credere est, & seriò Diuæ Parochianorum VVeyerensium tutelari commendant.

Parentes diuinitus inspirati pro filia vouent Deiparæ VVeyerensi. Defuncta illicò reuiuiscit.

Grande miraculum, vix votum emiserant, & ecce puellula iam sepulchralibus inuoluta fascijs, cunctis aspectantibus, è lurido nigrore rubescit in facie; sternutat, labia mouet, os aperit, & reuiuiscit. Grati parentes tam promptæ Benefactrici, illicò ad sacram Domum, nam parum abest Leogasto, properant, & quod vouerant, sibimet congratulantes exequuntur, & Seruatrici debitas laudes rependunt.

Euulgatio Miraculi.

Huius sanè tam illustris Miraculi tot testes sunt, quot ciues & inquilini Leogastenses, & VVeyerenses: imò verò eò vsque huius rei fama diuulgata est, vt ex omnibus locis circumuicinis, atque ex ipsis vltimis Bohemiæ & Morauiæ finibus Aduentantes ac Diuam VVeyerensem inuisentes, puellulam rediuiuam & videre voluerint, & affari. Et ne publica quoque fides deesset, M. Ioannes Dratz Parochus VVeyerensis, Ioannes Paulus Helldorffer Præfectus Leogastensis, Michael Dürr Iudicij ibidē iuratus Scriba, in præsentia insuper Notarij tum parentes, tum vicinos, qui oculati testes lamentabilis extiterant spectaculi, ex omnibus circumstantijs diligentissimè sub iurisiurandi, diuinæque præsentiæ attestatione, Anno 1611. 5. Septembris, examinarunt. Relationem quoque Notarius hisce verbis subscripsit.

Eiusdem authentica solennizatio.

Nicolaus Wollgezogen *ex sacris Apostolica, & Imperiali Authoritatibus Notarius publicus, necnon Poligraphus in* Kupfferberg *in fidem supradictorum nomen suum assignauit.*

Apostrophe ad Lutheranos Ministros.

EHodum adeste, quotquot in vicinia degitis, verbi crepitacula, adeste, quotquot vspiam spermologiæ Lutherici Euangelij vos addixistis, nec vocati, nec missi, nec vncti, nec saliti, circumforanei Agyrtæ adeste, inquam, & apportate fucos omnes, colores omnes, quos agnitæ, & meridiana luce clariori veritati obtinere soliti, & quidem egregiè edocti estis; Adeste, & neruos omnes intendite, & si præualetis, huic diluendo miraculo impendite, & artis vestræ publicum specimen date. Negate, si potestis, quod homines tot fide digni viderunt verum esse, ac vero verius deprehenderunt, affirmauerunt publicarunt, testati sunt; affirmant etiamnum, publicant, & attestantur.

(.*.)

CAPVT

CAPVT III.

MANIACVS MVLTO TEMPORE MENTIS INOPS reſtituitur.

AD alia nunc imus, vt omne auxilij genus in omni miſeriarum genere miſericordiæ Matrem præſtitiſſe oſtendamus. Rem geſtam refero, vt in præſentia mea, teſtium inſuper, & Notarij, relata eſt ab eo, quem concernebat, ſub iuriſiurandi, & conſcientiæ ſeria obteſtatione.

Ioannes Langius, Albimœnio oriundus, Monaſterio Diui Michaelis eo tempore deſeruiens, Anno 1610. circa D. Martini feſtum phrænetica febri derepentè inuaditur, qua cum menſibus aliquot ægerrimè colluctatus, omnem rationis vſum amiſit, & incurabilem, vt vulgò rebantur, maniam incurrit. durat miſeria diu multumque; nec afferri, ſed & ne vix quidem ſperari poteſt leuamen. Interea dum parum cautè, ac prouidè à ſuis cuſtoditur, inſcijs omnibus è Monaſterio ſe proripit, & in ſyluas, & ſolitudines penitus ignotas præpeti curſu contendit: Vbi quinque integris hebdomadibus inſtar beſtiæ oberrans omnis humani cibi potuſque expers vixit, ignorans aliam, præter diuinam, & haud miraculo vacuam ſuſtentationem. Nullius inſuper alterius rei poterat recordari, quàm quòd durante inſania ad fratrem germanum, Egra non procul habitantem caſu venerit, qui tametſi vijs omnibus conaretur, eum tamen apud ſe nequibat retinere, quin ſaltus, & nemora ſumma celeritate repeteret.

Mania è phrenetica febri inſanabilis.

Furioſus Egram vſque excurrit.

Elapſis iam quinque, quas diximus, ſeptimanis in tanta calamitate decurſis, cùm abdita in ſolitudine quadam inter montium & vallium abrupta, ſaxorumque crepidines paululum quietis caperet (O bonum omen!) pauxillum quoque ſubleuaminis perſentiſcit; in quo ad ſe, vnde iã diu abfuerat, reuerſus, cùm mentem in Deum eleuaret, memoria Deiparæ Virginis VVeyerenſis vltrò ſeſe inſinuabat. Suſpirijs igitur imo è pectore depromptis, diuinam opem hiſce verbis inclamabat: Ah Domine Deus meus; ſumne totus ob peccata mea à te derelictus? & mei miſerere, qui omnium miſereris tuam inclamantium miſericordiam. Et addidit: O Sacratiſſima Dei Genitrix Virgo Maria, quę tot beneficijs in tua VVeyerenſi Eccleſia tam multis fers opem, & mihi tua apud Filium interceſſione ſuccurre, vt ab hac, in qua velut bellua detineor, miſeria tandem aliquando eripiar. Addebat inſuper propoſitum ſacram Virginis AEdem occaſione prima deuotè inuiſendi. O mira ſiue Dei miſericordia, ſiue

Poſt quinq; hebdomadarum in ſyluis & ſolitudinibus oberrationem ad ſe redit.

Oratio eius ad Deum & Virginem.

Matris clementia subueniendi afflictis, & aduersis hominum rebus! O supra omnem fidem, supra captum inclinabilis, & prompta beneficentia, tum filij opem elargientis, tum Matris eam impetrantis! Eodem temporis puncto redit perfectæ rationis vsus, colligit ipse mentem, & dispersas animi cogitationes in ordinem redigit, præteritique morbi magnitudinem agnoscit, & è Sudetorum montium confragosis secessibus per auia, per deuia, leui, vt sibi videbatur, itinere, Liberatricis haud dubio manuductu, tametsi debilis adhuc, & è fundo exhaustis corporis viribus, Albimœnio appropinquat, & apud cognatos diuertit; Qui eum iam pridem extremas fati lineas transgressum, & in syluis alicubi mortuum, & insepultum iacere existimabant: Iam enim plus, quàm integro mense requisitus, nullibi comparebat.

Perfectè ad mentem redit.

Redit ad cognatos, qui iã pridem vita functum existimabant.

Interrogatur à varijs, & variè, & præcipuè à Reu.do D. Ioanne Hartlieb, tum Albimœniensi Parocho, nunc autem Collegiatæ Forchemiensis Ecclesiæ Decano, quis opem tulisset oberranti, ac tanta locorum intercapedine furibundè discurrenti? Quis cibum potumque præbuisset? quis huc direxisset? Deipara, inquit, Virgo VVeyerensis. Huic me voto obligaui: vt hanc expediã obligationem, quamprimùm decet; imò & oportet: Tantũ enim mihi præstitum beneficium gratiarum actionis dilationem aut moram non promeretur. Et quî tu, inquiunt Cognati, membrorum omnium vigore destitutus, tot milliarium iter perficies? vires, inquit ille, Beata Virgo subministrabit. Nec falsa est tam pia hominis fiducia: Nam pristinæ sanitati illicò asseritur, & ad expediendum, quod vouerat, accingitur.

Examinatur de sua diuagatione.

Non eget, mea quidem sententia, tam luculentum & euidens Diuæ VVeyerensis auxilium diserta verborum exaggeratione, cùm in se tam liquidum, tam limpidum sit & clarum, vt vel audientium sine affectu deprauato, vel legentium oculos vltrò incurrat.

Auxilij à Deipara præstiti euidentia.

Illud silentio minimè prætereundum. Interrogata hæc perdita Ouicula nostra; vndenam ei Deiparæ VVeyerensis notitia? hoc dedit responsi: cùm ante viginti circiter annos parentes mei Albimœnio discedentes in Brandeburgicum Marchionatum, VVeyera non procul, Domicilium suum transtulissent, vidi oculis hisce meis, & in veritate comperi, alienos etiam à Catholica Religione, Lutheranos, inquam, quàm primùm in quacumque occurrente necessitate, aut ingruente calamitate, siue sua, siue suorum, Deiparæ Virginis apud filium fauorem, & gratiam votis de more fieri consuetis sollicitassent & implorassent, è vestigio sine omni cunctatione multiplicis auxilij compotes euasisse. Cuius rei exempla aliquot nominetenus expressis personis referebat.

Vnde sanato notitia Deiparæ VVeyerensis.

Laici Lutherani etiam Virginem tamen ex corde inuocantes votorum compotes fiunt.

Id sanè non parum ponderis habet, quod tota Ciuitas Bambergensis

huic præcipuo Diuæ Virginis VVeyerensis Beneficio testimonium, si necessitas postulet, omni exceptione maius perhibere possit. Cùm enim Langius noster vno iam integro & eò amplius mense amissus, nullibique, summa licèt industria quæsitus, inuestigari potuisset, per omnes totius Ciuitatis Concionatorias Cathedras populo publica de more indicta est oratio pro impetranda misero Diuina ope, vt si non viuus, saltem mortuus reperiretur.

Oratio Monachi prodigiosa. toti Ciuitati Bambergensi nota.

Hæc vt memorata sunt, sub attestatione grauissima enarrauit Langius in præsentia mea. Notarius porrò infrà scriptus, testibus ad id requisitis excepit, & regestro suo inseruit. Et hæc eius subscriptio:

Ego Notarius infrascriptus in præsentia Domini Vicarij in Spiritualibus, & testium specialiter requisitorum Reu.rum D. D. Nicolai Hofmanni Canonici S. Stephani, & Sebastiani Durrbeck Vicarij Ecclesiæ Cathedralis, Capellanorum in Parochia D. Virginis, Anno, Mense, & die vt suprà Omnia hæc ex ore Ioannis Langij audiui excepi, & in protocollo meo annotaui, & hoc transumptum manu mea subsignaui.

Ioannes VVolfius Fiscalis Bambergensis, Notarius Publicus SS.

CAPVT IV.

VIRGO A PESTE, ET MORTIS EVIDENTI periculo liberatur.

VT innumera sunt miseriarum genera, quibus in hac ærumnarum valle, vbi grauissimis, & enormissimis peccatis nostris Diuinæ vindictam iræ de die in diem magis magisque exasperamus, subiecti, & expositi sumus: Sic etiam varia Diuinorum auxiliorum suppetunt adiumenta; quibus potentissimæ generis humani Tutricis precibus flexus Omnipotens Filius eius, ad propagandam Matris suæ Benedictæ gloriam, nobis consueuit opitulari. Nouum specimen quæ sequitur relatio secum apportat; Quam, quia prolixior erat, ex originali à Notarij subscriptione roborato breuiusculè quidem, sed candida fide recensebo: Nam & in mea præsentia Notarius cum testibus eam excepit.

Multitudo humanarũ miseriarum multiplicat Christi & Matris eius Misericordiam.

Apolonia Nachseylerin Ciuis Bambergensis Dᴇᴠᴍ & omnes Cœlites, vt testimonium veritati præbeant, inuocando, fatetur quæ sequuntur: Cùm eodem ipso anno 1612. Maritus eius pistor opificio cum vno filio in oppido Eltmain VVirtzeburgensis Diœcesis pe-

ste ib i

ſte ibidem ſæuiente è medio ſublati fuiſſent, ipſa cum reliquis liberis adhuc ſaluis & integris fugam (qua præſentius remedium aduerſus peſtiferam contagionem vix inuenietur) inijt, & Bambergam, inſcio tamē Magiſtratu, qui id impunè haud permiſiſſet, commigrauit, ibique in domo ſua iam pridem coempta in platea, cui ab arena nomen, habitationem accepit. Non potuit res diu eſſe occulta, quin ad notitiam eorum, quos penes eſt regimen Ciuitatis, pertingeret. Ideoque ſeriò ab illis demandatum, vt illicò recederet, & alio in loco priùs, quàm rediret per menſem ad minus degeret; ſed & nec veſtes, aut lectiſternia, aut alia vtenſilia ex oppido illo infecto ſecum redux afferret. In omnibus ipſa promptiſſimè obſecundat, ac denique ad inhabitationem Domus ſuæ annuente Magiſtratu admittitur. Interea filius eius Vorchemij habitans, & filia nomine Catharina, ſe inſcia, & planè inuita matre in Eltmain itant, & reſerata domo, inter alia ſupellectilia, quæ filius, binam muliebrem veſtem cum duabus tunicis filia ſuſtulit, ſecum Bambergam adportauit maxima cum matris indignatione; imò & obiurgatione, eò quòd malum aliquod exinde ſecuturum ominaretur.

Fuga remedium peſtis.

Nec præſagium fefellit prouidam matrem: Alteram enim veſtem cùm primùm filia induiſſet, eodem die peſtifera lue, qua maritus perierat, vehementiſſimè correpta eſt; ad collum eius penes vtramque aurem bubonibus inſtar pugni erumpentibus. Vocato igitur, qui ſcarrificatione abſtrahendo à peſtiferis vlceribus ſanguinem gliſcenti malo remedium afferret. Is applicatis extractorijs cucurbitulis, iterataque ſæpiùs cutis inciſione, nec vnicam ſanguinis guttulam, ſed aquoſum duntaxat & viſu, & odore tetrum ab ipſius corpore humorem elicuit. Certiſſimum vicinæ mortis Argumentum. Creſcit cum intolerabili ardore peſtifera tabes; & periculum de momento in momentum augeſcit. Intimo afflicta mater animi mœrore conficitur, ob metum præſertim Magiſtratus, ne denuò Bamberga eijciatur, aut domo incluſa obſeretur. Manè inſequenti, cùm totam noctem inſomnem traduxiſſet, dubia, & ignara conſilij, vt ad DEVM, & Glorioſæ Virginis Deiparæ tutelam confugeret, eiuſdem Virginis Eccleſiam parochialem, vbi tum Triceſimales Deiparæ Virginis ſolennitates vetuſta & laudabili, ac pia conſuetudine Ciuitatis Bambergenſis Cultui Dei Matris cumprimis addictæ celebrantur. Contigit, vt ſub Sacrificio Miſſæ ſermo de laudibus Deiparæ haberetur, in quo mentio fiebat Miraculoſorum beneficiorum, quæ Dominus DEVS olim in ſacra eius VVeyerenſi Aede varijs hominibus contuliſſet, & etiamnum hodie conferret. Viſa eſt hîc ſibi mulier cœleſti oraculo de ſanitate filiæ certificari.

Filia peſte inficitur à veſtibus è loco contagioſo ſublatis.

Periculum puellæ peſte infectæ

Triceſimus Deiparæ Virginis quotannis Bambergæ ſolitus celebrari.

Occaſio voti ad VVeyrenſem Virginis Eccleſiā

Nulla calamitas sola.

Confestim itaque voto Deiparæ VVeyerensi se pariter filiamque alligauit, & simul eundem in finem pauperibus stipem pro facultatibus erogauit, quò faciliùs à Deo per Virginem, quod auebat, impetraret. Domum denique rediens, velut inter sacrum saxumque, spem & metum ancipiti cogitationum iactatu exagitata, à Vicinis, qui filiæ pestiferam contagionem iam intellexerant, contumelijs & minis horrendè excipitur, vtpote quæ luis illius periculum viciniæ inuexisset. Filiam igitur inuisit decumbentem, explicat quæ vicini partim minis obiectassent, partim re ipsa, & contumelijs irrogassent: in quas, inquiens, O filia mea, calamitates temeritas tua me coniecit? En à vicinis iniuriosè excipior, & si tu moriaris, à Magistratu forsan è Domo, & Ciuitate exturbor, aut includor. Quid faciam? quò me conferam? vbi diuertam? O filia mea, quàm malè tibi; quantò peius mihi consuluisti? His auditis filia in hæc verba subitò prorupit: Bono animo esto mater mea, ecce hac ipsa hora incipio optimè sentire; redierunt vires, dolores euanuerunt; surgam; neq; enim ampliùs lecto inhærere lubet. Et surgit protinùs sana, & incolumis; à matre cibum præberi postulat; reficitur; difficultatis ne hilum ampliùs persentiscens: Bubones tantùm collum aurium tenus inflantes necdum erant sanati, sed vt principio proruperant, ita persistebant. Vocat ergo Chirurgum (Barbitonsorem vulgò appellant) mater, mercedem promittit non contemnendam; rogat, vt medicam opem sanandis vlceribus impendat. At ille, quod erat, subolens, excusat rei impossibilitatem, & abitum maturat. Vocatur alter; is etiam renuit.

Lamentatio Matris ad filiam.

Efficacia mira Materni voti pro filia.

Nouum beneficium priori superadditur.

Verùm ecce nouum Virginis Beneficium: Eodem vesperi tumor iam purulentus disparet, ne minimo quidem vestigio, nisi cuiusdam exiguæ cicatriculæ macula relicta: Sequenti die Vorchemium ad fratrem se confert sanata, Beneficium Deiparæ Virginis eidem declaratura. Prima deinceps occasione cum matre & plurimis alijs tanti Beneficij conscijs nudis pedibus ad VVeyerensem Diuam perrexit, votique obligatione se expediuit. Hæc rei series. Attestatio verò Notarij, & testium sic habet:

Ego infrà positus Notarius hæc omnia & singula, & multò plura, quæ breuioribus verbis annotari non poterant, excepi in præsentia D. Vicarij in Spiritualibus, testibus ad hoc legitimè requisitis Reu.do & Eximio D. Ioanne Fornero The. & Iuris Canonici Doctore Parocho in Scheslitz, R. D. M. Nicolao Hofmanno Canonico ad D. Stephanum, Sebastiano Durrbeck Vicario Ecclesiæ Cathedralis, Capellanis D. Virginis, & D. Iacobo Friderico Senatore Ciuico, Georgio Voglero Ciue & Tornatore Bambergensibus. Acta sunt hæc apud D. Stephanum in Curia Canonicali prænominati D. Vicarij in Spiritualibus, &c. Anno & die quibus suprà.

VVolffgangus Ortlein Canonicus D. Steph. & Not. Publicus ad hæc specialiter requisitus, in fidem subs.

CAPVT

CAPVT V.

COSTAE FRACTVRA MIRE curatur.

TRanseo ad aliud Virginis Glorioſæ beneficium publica etiam fide roboratum. Ambroſius Merck opificio Sartor, ac tunc temporis Telonarius Caulbergenſis portæ in Suburbio Bambergenſi, ante Sexennium à vicino, quem amicitiæ ergò viſitauerat, intercurrente, neſcio qua ſimultate, quæ cauſa ſecutæ contentionis, è gradibus deturbatus, coſtam ſiniſtri lateris cordi deſuper imminentem fregerat. Hinc ineffabili dolore conficiebatur. Creſcebat malum coſtæ fractura magis magiſque ad interiora penetrante, & ad formam arcus cordis loculamenta infringente. Sectionem diſſuadebant Chirurgi; nec ſine euidenti periculo ſubeundam. Ergo ſiue præproperam, ſiue lentam mortem non ſine mœrore expectabat.

Mali periculum.

Contigit intereà, vt cùm de rebus varijs cum quodam, qui tum orphanis puerulis (qui magno numero in Domo S. Mariæ Magdalenæ ali Bambergæ ſolent, Opium opus) cum poteſtate præerat, ſermones familiariter miſceret: Inter alia porrò, vt coſueuit, de Diuæ VVeyerenſis Beneficijs, quæ iam multi in varijs neceſſitatibus re ipſa experti eſſent, haud pauca conferuntur. Digreſſo tandem vtroque, Ambroſius Domum ſuam repetijt intima exardeſcens deuotione in Virginem Benefactricem. Spe itaque, ac fiducia plenus cubiculo ſe includit, & Virginis miſericordiæ viſcera ardenti prece pulſat, vt ad tollendum graue illud, & periculoſum corporis nocumentum præter omnem culpam inflictum velut apud ſacram Anchoram, ità in materno Virginis pectore ſubſidium inueniat. Surgit denique ab oratione, hypocauſtum ingreditur, reſidet iuxta menſam; Tum ſubitò omnia corporis intranea maximo doloris ſenſu ſurſum, deorſum, vt ſibi videbatur, verti ac moueri. Fit ingens fragor, ac ſi baculus non exiguæ craſſitiei medius confringeretur. Audit hoc filia extra hypocauſtũ ſub domus limine in gradibus reſidens; accurrit, interrogat, quid patri contigiſſet? Ille vix ſibi præſens præ cruciatu, aut fari non valens, aut tum nolens, nutu eam auertit. Ceſſat mox dolor, vocat vxorem; & latus ægrum tum tactu, tum aſpectu probari iubet: ſtupet vterque, videns arcuatam & incuruam paulò antè coſtam, ac partim introrſum, partim verò extrorſum prominentem conſuetæ rectitudini inſtar coſtarum reliquarum reſtitutam, omninoque ſanam & integratam. Bis dat qui citò dat. O acceleratũ! O ſine mora datum æterna memoria dignũ beneficium!

Mentio Deiparæ VVeyerenſis cauſa voti cò deſtinati.

Orphanotrophium Bambergenſe.

Oratio ad Virginem haud infructuoſa.

Admirandum curationis genus.

Gratitudo p. beneficio.

Vt ergo Opitulatrici Diuæ gratus eſſet, non ſolùm ſacram eius domum cum munere adijt, ſed & domum rediens, vltrò, coram Notario & teſtibus, ſumma fide & coram DEO, ſi iuberent, ſub grauiori atteſtatione rem, vt geſta eſt, depoſuit. Notarij autographum eſt, quod ſequitur:

Anno Domini 1611. 26 Octobris in domo parochiali Diuæ Virginis, ego Notarius in præſentia vocatorum teſtium, R. R. D. D. M Nicolai Hofmanni Canonici S. Stephani, & Ioannis Schrammij, Capellanorum Diuæ Virginis, & Friderici Bauerſchmids Choraliſtæ ibidem, ſuperius enumerata omnia ex ore Ambroſij Merck Sartoris audiui, in notam ſumpſi, & fideliter annotaui.

M Iſaac Breudnerus Notarius Publicus in fidem ſubſcripſit.

CAPVT VI.

ADOLESCENS, LICET HAERETICVS, Matris Lutheranæ voto à morbo comitiali liberatur.

Virginis glorioſæ benignitas in eos etiā, qui ſunt extra Eccleſiam.

TANTANE, tàm effuſa, & ſui prodiga eſt clementia tua, O Glorioſa humani generis Auxiliatrix, vt & ijs, qui extra Eccleſiæ gremium ſunt, & patrocinium tuum non ſatis probè agnoſcunt, benignitatis tuæ fontes aperias? Salus quandoque ex inimicis; at tibi gloria ex inimicis, & alijs, O admiranda, qui oderunt alioqui Nomen Interceſſionis, neque confugiunt ad vmbram Tutelæ tuæ.

Catharina VVitzgelin, vidua pluſquam Sexagenaria tunc temporis Nobilis & Strenui Equitis Ioannis Groſij à Trockavv, Viri antiqua fide, & Religione & ſeruitijs addicta, vltrò (niſi fortè Nobilis Heri ſuaſio acceſſerit) quod mox dabimus beneficium retulit coram Notario & teſtibus, atque ad Diuæ Virginis Aedem VVeyerenſem tranſmitti petijt, ac propalari, ne, quod metueret ingrata reticentia, & Diuæ, & Filij eius Seruatoris noſtri indignationem incurreret.

Ante viginti circiter annos filius eius Ioannes, tum temporis quatuordecim annorum, nũc autem Ciuis in Kirchenlemiz non procul Curia Variſcorum, iam inde ab infantia multis annis comitiali (alijs Herculeo morbo) horrendè ac fœdè laborabat, & ſæpius in die cadere, ſpumare, frendere, verberare, morſicare cum magno adſtantium vel ter-

Morbi Comitialis fœditas

rore,

rore, vel miseratione solebat. Vsurpata iam erant sexcenta remedia, nullo fructu, nulla spe sanitatis. Tametsi porrò tum Lutherana adhuc Catholicæ Religioni minimè addicta foret; Siquidem tamen certa plurimorũ in Voitlandia hinc inde degentiũ relatione comperisset, in sacro Virginis VVeyerensis tẽplo tam multos à varijs necessitatibus subleuari, qui voto aliquo Mariam Virginem honorarent, eorum se exemplo accẽsam vouisse, si filium à morbo illo abominabili liberaret, quotannis, dum viueret, eius Ecclesiam cum donario aliquo visitaturam: Idque eodem anno prima vice persoluisse. & feria secunda Rogationum cum processione Oppidanorum Steinacensium eõ itasse.

Voto pio in muliere necdum veræ pietati addicta pia misericordiæ Mater piè correspondit. Ab eadem hora filius eius à morbo liber euasit, nec vel vllum indiciolum sonticæ conuulsionis in eo vnquam apparuit. Affirmauit quoque se omnibus retroactis annis, etiam necdum Ecclesiæ reconciliatam, votum summa diligentia expleuisse, & annuatim Deiparam Benefactricem suam munusculo aliquo recognouisse. In gratiam eorum, qui Lutheranismo addicti exiguam fidem præbent miraculosis Dei Matris beneficijs, subnecto publicæ authoritatis assertionem.

Votum Mulieris Lutheranæ exauditur.

Anno Domini 1611. 2. Octobris, Ego Notarius infrascriptus, in domo Parochiali D. Virginis Bambergæ coram testibus legitimè requisitis, R. R. D. D. M. Nicolao Hofmanno Canonico sancti Stephani, & Ioanne Schrammio Capellano Parochialis Ecclesiæ D. Virginis, & Friderico Bauerschmid ibidem Choralista &c. audiui & auscultaui, quòd Catharina VVirtzgehn &c. narrabat se voto ad D. Virginem VVeyerensem Filij liberationem à morbo caduco impetrasse, & in huius libelli formam redegi.

M. Isaac Breudnerus Notarius Publicus
manu propria subscripsit.

CAPVT VII.

FOEMINA PLEVRITIDE DIVTVRNA, ET lethali triennio decumbens curatur.

VT sine numero, & variæ sunt hominum miseriæ: sic multiplicem, & variam Virginis Gloriosæ misericordiam exercent. Quod enim malum, cui non ab illa remedium? fusiùs enumerarem,

Malorum omnium medicatrix Maria.

Anno Domini 161. 7. Nouembris, Steinaci, in Curia Quæstorali Illust.mi ac Reuerend.mi Principis ac Domini, D. Ioannis Godefridi Episcopi Bambergensis, Præpositi Herbipolensis &c coram me Notario & infra scriptis testibus comparuit spectabilis vir Dominus Ioannes Frankenberger Vxor Vrsula in rei veritate ex conscientia indicans &c. Huic enunciationi tanquam testes adfuerunt, M. Ioannes Dratz Parochus VVeyerensis Sebastianus Durrbeck Vicarius Ecclesiæ Cathedralis Bambergensis, & ibidem Capellanus B. Virginis, & Casparus Honauer Bambergensis Præfectus in Ennichenreuth.

Ioannes Pangratius Fischer Vtriusque Authoritatis Notarius Publicus, necnon Poligraphus in Stadt Steinach, hæc annotauit, & manu propria in fidē vberiorem scripsit.

CAPVT VIII.

PVER NOVEM MENSIVM CONTINVO FLETV AD EXtrema redactus, flere desinit, & à mortis periculo eripitur.

LAurentius Seyler Syluarum Custos in Bamberg, Ennichenreutensis Territorij, affirmat iurata fide in præsentia Notarij & testium; Anno 1607. circa D. Bartholomæi Apostoli festum, legitimam Vxorem peperisse filium, à M. Ioanne Dratz Parocho VVeyerensi è sacro fonte susceptum. Hic lucis huius vsuram assecutus, extemplò incessanter flere, & eiulatus terribiles sine vlla quietis intercapedine nouem solidis mensibus continuare cœpit; Ita vt nec ipsi parenti, nec Matri vel minutulo temporis spaciolo, siue interdiu, siue noctu, quietis aliquid à tædiosa illa lacrymatione licuerit captare. Quin & ipse infantulus, vt facilè creditu, congenita illa molestia confectus eò miseriarum deuenit, vt vix ossibus hæreret. Nec id solus parens, sed & tota vicinia contestabatur. Omnis itaque humani consilij expers, & auxilij insuper exspes, ad Deum profugere parat. Inijcitur ei haud dubiè diuinitus cogitatio Deiparæ VVeyerensis. Anathematis itaque loco non exigui ponderis cæreum, & vnà argenteum munusculum ad sacram Basilicam promittit, ac feria tertia Rogationum ipse cum Vxore ploratorem filium secum baiulantes Virgini Matri ad Aram sacram præsentant, & simul etiam donaria votiua cum illo deponunt.

Molestia continui fletus infantuli.

Continui fletus molestia ab infantulo propulsatur.

Nec spe frustrantur; domum redeunt cum infantulo iam iam tacituriente. Collocant in lectulo, quod antea, quamdiu vixerat, minimè fa-

ctum quietè dormit tota nocte; cessat fletus, cessat virium imbecillitas, cessat corpusculi extenuatio; succedit integra sanitas, qua vsque in hodiernum diem adhuc sospes fruitur; & viget viribus pro tantilla ætatula, & valet. Ito, qui dubitas, & non solùm parentes, sed & Notarium & testes de fide interrogato.

Acta sunt hæc & annotata eodem die, mense, Anno, & loco, coram ijsdem testibus specialiter requisitis, &c.

Ioannes Pangratius Fischer vtriusque Authoritatis Notarius publicus, qui suprà, manu propria scripsit.

CAPVT IX.

EX ALTISSIMA CONTIGNATIONE delapsus, totoque corpore comminutus, in vita seruatur, & sanatur.

MIrum hic etiam factum, euentusque narranda in VVeyerensi Originario inquilino. Is est Ioannes Guntherus; & profitetur ex conscientia coram Deo, & eius omnia continente aspectu, à Diua Tutelari patriæ suæ quondam se accepisse memorabile beneficium Mense Augusto Anni 1598. cùm deseruiret R. D. Ioanni Gotzio, tunc temporis Parocho VVeyerensi. Conseruis namq; suis frumentorum manipulos in horreum conuehentibus, ipse in summitate trabium seriatim & ordine componebat. Pergit alacriter, & sine tædio; verùm rei nimiùm attentus, ad malefidam pedum stationem non attendebat. Pedibus igitur, dum sub scandularis tecti summitate, tigillo manu altera apprehenso, à subiecta transuersaria trabe è Cantherij cacumine decidit in duram, & ab omni alia re nudam aream, lapsuque graui, & allisu totum corpus & omnia membra ita concussit, ita protriuit, ita malè affecit, vt exanimis omnium iudicio haberetur.

Lapsus extreme periculosus.

Hora diutius sic iacuit, sine motu, sine loquela, sine sensu; sed tandem pauxillum ad se redit, & ingenti cruciatu toto corpore mirandum in modum malè affectus ad Benedictam Virginem Matrem recurrit, & pollicetur, si ipsa succurrat, & consopito dolore, concussato corpori, luxatisque membris sanitatem reparet, se nouum ex hircino corio confectum thoracem eius Ecclesiæ oblaturum. Audijt Virgo simplicis

Iacet exanimis.

homi-

hominis è recto corde profectum simplex votum; & precibus non secùs respondit, ac si corporea præsentia præstò astitisset. Remittit dolor aliquantulum, mox omninò cessaturus. In mactra panaria, quæ κάρδοπ@ Græcis est, Domum reportatur, vbi è præcordijs iterato ructu, excusso, res mira, copioso sanguine, viscera omninò sanescunt, & luxata, atque concussata membra pristino vigori sine omni Chirurgorum manu & medela restituuntur. Cui præclaro Deiparæ VVeyerensis beneficio tota vicinia vltroneum, atq; omni exceptione maius testimonium parata est præbere qualicunque Dydimo, qui rem adeò exploratam incredulo cerebro suo non ita facilè sinit inculcari.

Sanatio haud parū miraculosa.

Hæc relatio facta est in præsentia Reuerendi Domini M. Ioannis Dratz Parochi VVeyerensis, Sebastiani Durbeckii, Vicarij Ecclesiæ Cathedralis Bambergensis, & Capellani D. Virginis ibidem, nec non Ioannis Hofmanni Ciuis Leogastensis. Actum VVeyer, 19. Nouemb. Anno 1611.

Michael Durr Scriba Iudicij Leogastensis manu propria scripsit.

CAPVT X.

CRVRE PLVMBEA GLANDE TRAIECTVS, POST quatuordecim annorum dolores ab insanabili vulnere liberatur.

VOrchemiam nunc progredimur, vbi etiam Sol ille noster, Ecclesiæ oculus, mundi lumen, vigor, & vita, Dei Mater beneficentiæ suæ radios effundere non dubitauit. Michael Semlerus, Ciuis & Negociator Vorchemensis ante quindecim annos stipendia meruerat sub præclaro illo & inuictissimo heroe, & Archistratego Hermanno Christophoro Rusvvormio. In obsidione porrò, & oppugnatione Budensis arcis plumbea glande è fistula ferrea à Ianizero Turcico explosa, crure dextro traiectus, grauissimeque vulneratus erat. Nihilominus, vt virilis & constantis animi specimen ederet, stationem relinquere iussus etiam nolebat, donec receptui caneretur. Reuersus porrò suum in tentorium, cùm campestri Chirurgo vulnus alligandum detegeret, inuenit is periculosam totius tibiæ inflammationem, & insuper ignem sacrum accessisse. Nec potuit vnquam postea, omni licèt artis medicæ ope

Periculum accepti vulneris.

atque opera adhibitis, ita curari, vt excesis è fundo gangrænis suppurantia carcinomata exterminarentur. Hinc quatuordecim, & eò amplius annorũ continuus tam diurnus quàm nocturnus dolor, cui vel ex parte aliqua leniendo nulla seruiebat medicina. Rogabat sæpè diuinum Numen, vt malo mederi post tot annorum curricula dignaretur. Quid autem Deus? differebat; non vt negaret, sed vt commodiori tempore vtilia concederet.

Admonetur ergo tandem in somno: à quo nisi monitore Angelo? admonetur inquam, vt voto honorario D. Virgini VVeyerensi impenso petitam sanitatem assequatur. Dubitat prima vice, an illusio sit, vel phantasma, quod per somnium vel viderat, vel audierat? rogat itaque, si à Deo sit, vel ab eius Matre benedicta & à bono genio, vt altera, atque etiam tertia vice iteretur. Annuitur quod petit, & redit diuinum illud siue secuturæ sanitatis præsagium, siue Custodis Angeli excitamentum. Vouet itaque vbi primùm ob pedum & cruris impedimenta liceret, se Diuæ Virginis VVeyerensis sacram AEdem cum oblatione visitaturum.

Admonitio diuinitus facta ad occupandum Deiparæ votum pro sanitate. Somnijs haud temere credendum.

Interea cęreum aliquot librarum pondo per Alberti Dentzelij Ciuis Bambergensis filium pignoris loco transmittit, vt in sacra Virginis Ara accenderetur. Res admiratione digna; actio in distans sine medio. Eadem ipsa hora, qua Cæreus tot milliaribus inde accenditur, ipse Vorchemij notabile doloris lenimen experitur; Ebullit ex imo vulnere omnis purulenta caro, hiatus vulneris sine medicamine coalescit, & cicatrice obductus integrè consanescit. Tertia iam hebdomas transierat à transmisso cæreo, cùm præsentibus Notario, & testibus stupore defixis, qui eum tot annis claudicantẽ, gressuq; cespitantem nouerant sanum & integrum Crus exhibuit omni ex parte contemplandum. Votum itaque & meritò cum gratiarum actione persoluit.

Hæc relatio facta est Vorchemij Anno 1611. Dominica, qua erat 20. Nouembris, in præsentia R.ee.di & Eximij Domini, D Samuelis Eucharij Theol. D. Decani, & R.ee.di Domini Michaelis Dratz Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Vorchemiæ, Christophori Hagẽ Senatorij Iudicis Casparj Betzij, Georgij Fuchsij, & Georgij Lechneri, Consulum ad id requisitorum.

Huic attestationi præsens fui, & omnia, vt recensita sunt, recenseri audiui, quod testor ego Ioannes Lechner artium & Philosophiæ Mag. authoritate Cęsarea Notarius publicus, pro tempore Poligrammateus ibidem.

CAPVT

CAPVT XI.

PVERVLVS DESPERATAE SANITATIS à maligna, & acuta febri curatur.

VOrchemia ſecundo flumine Bambergam nauigatur. Et nos eò tendimus, vt noua Benefactricis Diuæ beneficia noſtræ inſinuata notitiæ cōmemoremus. Margaretha Michaelis Teubelij, Ciuis, & Sartoris Bambergenſis ad forum Piſcarium grauiſſimis verbis affirmando corā infrà ſcriptis Notario, & teſtibus præſentaneam opem filiolo ſuo nō ita pridem in extremo vitæ diſcrimine agenti à Domina noſtra VVeyerenſi exhibitam aſſerebat. Rei ſeries paucis hæc eſt:

Puer morbo omnino exhauſtus.

Inuaſerat Puerum acuta & peſtifera febris; ea infernè frigus, ſupernè æſtum exceſſu non parum periculoſo cum intolerabili capitis dolore ciebat. Miſerum pueri corpuſculum ſic afficiebatur, vt contractis membrorum neruis nec ſtare poſſet, nec ambulare, nec aliquid tangere; nec parum aberat à vicinia mortis. Et quid niſi cùm tanto tempore nec cibum, nec potum capere valeret. morbo interim vires omnes helluante, & abligurientc deſperat Mater de eius vita; deſperant vicini, & cognati puerū inuiſentes. Et quis vitæ ſpem omnem non abieciſſet miſerum aſpiciens ægrotum, ſceleto potius, & cadaueri, quàm viuo corpori ſimiliorem? Verùm nec vitæ, nec miſeriarum finis. Mater itaq; nocte quadam intimo cōpaſſionis ſenſu erga filiolum (quod necdum antea cogitatum) toto corde ad Deum ac Diuos conuertitur, atque ab illis opem implorat, vota deinde nuncupat ad aliquot pia, & diuinis beneficijs illuſtria loca, ac tandem poſt ſanctos Quatuordecim Auxiliatores in valle Franca, non procul à celeberrimo Monaſterio Lanckheimenſi, ad Diuam Virginem VVeyerenſem. Ipſa ergo vnà cum marito, & alijs puerum culcitris inuolutum ſecum deferri curat. Vix attigerant ſacrum limen, & ecce puer febrili paroxiſmo leuiuſculè corripitur, & breuiuſculè dimittitur. Pergunt illi vota Deo ac Diuæ reddere. Et ecce priuſquam è templo egrediuntur, puer omninò ab omni morbo liberatur. Redit virium vigor, redit appetitus, comedit, reficitur, nocte inſequenti placidiſſimè quieſcit, & in reditu Bambergam verſus aliquoties ambulando pedes, ſine vlla quietis interceptione integra milliaria conficit. O beneficium non contemnendum, nec poſtremo loco inter alia reponendum! Eſtne qui fidem eius à teſtibus & Notario aſſertam cupiat? Notarij teſtimonium accipiat:

Hac relatio præmissis solitis, & consuetu admonitionibus, de pura & simplici veritate fatenda & aperienda facta est in Sacristia Parochia Diuæ Virginis coram Admodum R. & Eximio D. Friderico Fornero SS. Theologia D. Concionatore Ecclesia Cathedralis, Vicario in Spiritualibus, & officiali Generali, testibus insuper requisitis, R. D. Nicolao Hofmanno S. Stephani Canonico, & D. Virginis Vicario, D. Vito Krausz Senatore, & Laurentio Kaupero, Cantore Ecclesiæ Cathedralis, Anno Domini 1611. in festo Præsentationis B. Virginis.

M. Isaac Breudner Notarius Apostolicus in fidem scripsit prędicta, & subscripsit manu propria.

CAPVT XII.

BENEFICIVM MVLTIPLEX PARVVLAE Anthrace, dysenteria, febrique laboranti, & in crure grauiter vulnerato eius parenti à Diua collatum.

FInem non facit potentissima illa hominum & Angelorum Regina benefaciendi Bambergensibus, quos peculiari deuotione, & velut homagio cultui seruitioque suo addictos habet; Nec fas est, vt nos eius beneficia memorantes finem faciamus ea debitis laudibus extollendi.

Vitus Forsterus Ciuis Bambergensis in mea non solùm, sed & Notarij ac spectatissimorum Testium præsentia mira hæc referebat, quæ sequuntur: Eius filiola ætate bimula Anno tunc currente 1611. à festo Corporis Christi per multos menses non solùm multiplici anthrace, sed & cótinua, & acuta febri vnà cum dysenteria grauiter decumbebat. Vocat itaque Medicos, consulit, orat vt opem ferant, si quid foret in eorum arte præsidij. At illi speculantur miseræ infantulæ miserias; obstupescunt tantillæ sustinentiam. Vlcerum inflammatio instar volatilis ignis totū corpusculum peruadebat, ac virulentis vlceribus populabatur. Pustulæ stillabant pure sordido, atque ex toto corpore, tota facie sparsæ, vt liberum nihil præter os solum esset. Pruritus accedebat, & qua poterat, frictus assiduus, vt sanguis passim manaret. Et iam penetrabant vlcera, atque exedebant cutem & carnem ad ipsa vsque ossa. Fœdus aspectus & terrebat & fugabat videntes. Medici ergo & Chirurgi adhibiti absistere, & indomitum malum censere, quid opis reliquum apud homines? aut parum, aut nihil.

Multiplices in infantula miseriæ.

Ergo diuino planè cósilio Diuam Virginem VVeyerensem in partem auxilij vocat, peregrinationem cum oblatione ad sacram eius Basilicam &

Inuocatio pręsidij Virginalis.

secum

secum decernit, & Virgini promittit. Quo fructu? Infantula ex illa hora tam à febre quàm dysenteria fit immunis. Mox deinde apparuit, inflammata vlcera ex se maturescere, aperiri, à purulentia purgari, siccari, minui, euanescere, vt intra paucos dies maligni nihil in corpusculo superesset, omni specie morbi cum ipso depulsa, nec cicatrix quidem, O mirabile, vsquam conspici potuit.

Beneficium accipere est libertatem vendere. Obligabatur vtique beneficiarius iste, vt tam insperatam filiolæ sanitatem grata animi recognitione sine mora reponeret, nec voti solutionem moras è mora nectendo differret. Verùm quæ humana incuria est, & negligentia, aut sine vrgenti causa diutiùs protelauit, aut certè obliuioni omninò tradidit. Aliud ergo infortunium: Nouus aurium vellicator, & monitor submittitur, dum propriæ cutis ac corporis infortunio tangitur, & omissæ gratitudinis admonetur.

Dilatio solutionis Voti pro paruula Parenti noxia.

Eiusdem anni 4. Nouembris Mensis die cum amico, vicino & quondā in expeditionibus Vngaricis commilitone suo Antonio Reinsall, eiusq; coniuge Strullendorpium expatiatur. Inter ambulandum haud procul à loco, vbi criminum sontes extremo supplicio affici solent, Antonij vxor muliebri cupiditate stimulante, inter caulium in agro proximo consitorum capita vnum præ ceteris æstuanti appetentia degustare expetit, & anhelat. Rem dissuadere maritus, nec permittere, vt ex agro alieno aliquid inuito Domino tollatur. Progrediuntur eò, quò tendunt. In reditu fœmina denuò caulis conspecto capite nouo inflammatur desiderio. Obsistit denuò maritus, ipsa contrà nititur, & Forsterum obnixissimè rogat, ne se petito obsonio defraudet. Acquiescit ille, licèt inuitus; Agrū ingreditur, cultrum stringit instar nouaculę peracutum, qui impresso caulis stipitem penetrans impetu simul etiam sinistri cruris suram cum venis, varicibus, ac neruis omnibus vsque ad os tibiæ vnico ictu dissecando conuulnerauit, ita vt sanguis velut ex aliquot Siphunculis exiliret. Percellitur Antonius cum coniuge, & consilij ignari, strophiola, quæ se penes habebant, porrigunt, & manu simul adhibita, quà vsus & ars sinebant, hians vulnus obligant. Sequitur ingens dolor, nec minor difficultas domū deducendi ambulare non valentem. Ad ædes insuper vulnerati vbi peruentum, à concreto sanguine tibia maiorem in modum inflata visebatur; Chirurgi vocantur, iique non simplices, sed iurati. Asserunt vno ore dubium esse, an sanari sine vitæ periculo vulnus possit, cùm inflammatio iam accesserit, quæ nisi vnguentis refrigeratorijs cedat, vitæ discrimen medio haud alio, quàm cruris abscectione pręcaueri posse. O mala nuncia, si corporis detrimentum; at bona, si mentis sanioris emolumentum spectes! Ea namque eodem momento refricabant omis-

ſum, & haud ſine culpa dilatum VVeyerenſe votum. Hic oboriri, & ex oculis erumpere calentes lacrymæ, quibus ipſe ſuam ingratitudinem grauiter inculpare, ac Diuæ denuò ſupplex fieri, ſeque & periculoſum vulnus ſuum eius patrocinio enixiùs commendare. Renouat denique, quod priùs emiſerat, votum, firmiterque ſtatuit, ſi pedes nequeant, biroto ſaltem curru (nos carrum appellamus) aut alio vecturæ medio ad Virginis Aedem contendere, ac ſe debito illo liberare. Interim deſeritur à medicis: non tamen à fiducia in Matris Dei miſericordiam, quam continuis precibus fatigare non ceſſabat. O abyſſum Maternæ pietatis Glorioſæ Virginis in afflictos mortales nullis vnquam precum noſtrarum hauſtibus exhauriendam! Dormit ea nocte quietè ſatis nullo doloris ſenſu; manè dum euigilat, læſionis in crure nil ampliùs aut videt, ac tactu percipit; Extendit tibiam, nec vllam neruorum, aut tendinum contractionem aduertit. Ergo lætus oppidò & gratulabundus è lecto exilit, Antonium, reliquosque vicinos de grandi curationis beneficio condocefacit, & illicò à recuperata ſanitate, 23. die Nouembris ad VVeyerenſem Baſilicam peregrinationem votiuam inſtituit, quam tridui ſpacio feliciter perfecit. Soli lucem addere lubeat, dum Notarij, & teſtium affirmationem relationis huius veritati apponimus.

Voti renouatio.

Miraculosè ſanatur.

Ea porrò ſic habet:

Anno Domini 1611. 6. Decembris, coram Admodum R. & Eximio D. Vicario in Spiritualibus, &c. in præſentia teſtium infraſcriptorum, Ego Notarius ad calcem ſubſcriptus, duplex miraculoſum auxilium ex ore Vit: Forſteri Ciuis Bambergenſis, &c. in Sacriſtia Parochialis Eccleſiæ Diuæ Virginis cum [illegible] omnibus circumſtantijs, deſcripſi, & annotaui præſentibus & ad hoc requiſitis teſtibus, R. P. F. Philippo Metzio Priore Carmelitarum ad S. Theodorum; M. Nicolao Hofmanno Canonico S. Stephani, Clariſſimo Domino Ioanne Gregorio Harzeo I. V. D Conſiliario Aulico Ill.mi Principis Epiſcopi Bambergenſis, &c. Et expertiſſimo D. VVilhelmo Strokejero Medicinæ Doctore.

In fidem præmiſſorum omnium & ſingulorum; Ego M. Iſaac Breudner authoritate Apoſtolicà Notarius publicus ad ſingula ſpecialiter requiſitus, omnia ad notam fideliter retuli, auſcultaui, & manu propria ſcripſi.

CAPVT XIII.

SACERDOS SECVLARIS COGNATORVM VOTO mortis periculo euadit, & ab acuta febri consanescit.

ALio iterum Bamberga nostra non minùs luculento sibi à Virgine præstito beneficio breuiter explicando nos occupare molitur. M. Stephanus Thein, Bambergensi Cancellariæ à seruitijs, in caußis præsertim criminalibus, coram Notario & testibus itidem manifestabat, in se quoque ac suam in coniugem Deiparæ V. beneficentiam redundasse. Rem sine ambagibus, vt est in se, damus. Sacerdos quidam non infimæ notæ, illis cognatione proximus (nomini consultò parcitum voluit) acutissima, è qua inter mille vix vnus euadit, febri, ac Cephalagia Epidemica laborabat. Morbus porrò ingrauescentibus quotidie cum sensu doloris varijs accidentibus sic inualuerat, vt & Medici, & omnes alij de vita decumbentis conclamatum esse dictitarent. Quare & ægrotus ipse saluti suæ consulere, abitum ex hac vita sanctissimis Ecclesiæ sacramentis communire, riteque de rebus suis disponere monitus non abnuit; sed lubens, volensque obsecundauit: nam spem vlterioris vitæ & ipse velut irritam iam pridem à se relegabat; non ita, quos diximus, coniuges: nam ipso Circumcisionis festo, Anno 1612. percepta sacra communione, iam iam morituriendum ægrum Virginis Patrocinio ac Tutelæ ardenti prece commendant, ac pro vita & incolumitate eius peregrinationem cùm votiuo dono ad sacram VVeyerensem Domum pollicentur. O spem minimè confundendam præter omnium hominum spem & expectationem! Eodem die, quo æger decessurus putabatur, desinit Cephalagiæ dolor, Epidemiæ Crisis disparet; remittit febris; reualescit æger, ac sospes & incolumis euadit periculum, & septuagenario vicinus, etiamnum superstes, ac sospes degit in viuis. Vouentes porrò Virginis Beneficiarij promissis stantes, vnà cum voto obligationi copiosam satisfactionem præstiterunt. Adijciamus pro incredulis, admirandorum eiusmodi censoribus, Notarij & Testium fidem, vt omni calumniæ aditum præstruamus.

Votum pro alio exauditum.

Anno 1612. 8 Ianuarij in Sacristia Parochiæ D. Virginis, manè post Concionem in præsentia sæpius memorati D. Vicarij in Spiritualibus, & testiū ad hoc requisitorum, Ego Notarius subsignatus audiui à M. Stephano

Thein &c. recenſeri, &c. vt ſuprà relatum eſt. Teſtibus ad hoc requiſitis, M Nicolao Hoſmanno Canonico S. Stephani, Seb ſtiano Durteckio Eccleſiæ Cathredalis Vicario, Ioanne Schrammio Parocho in Bettſtadt, & Georgio Voglero Ciue Bambergenſi.

In fidem præmiſſorum, Ego M. Iſaac Breudner, Notarius Apoſtolicus ſpecialiter requiſitus, omnia & ſingula coràm audiui, excepi, & annotaui, & manu mea ſubſcripſi.

CAPVT XIV.

A TORMENTARIO PVLVERE MISERANdo ſpectaculo ambuſta & lacerata manus Viri Prænobilis mirè curatur.

DIgredimur Bamberga, atq; ad Confinia Diuę VVeyerenſis aliquãtiſper tranſferimur. Quod modò relaturi ſumus, nec Notario, nec teſtibus fulcitur, nec eiuſmodi fulcris, aut monumentis, ſiue munimentis opus habet, vt ſubſiſtat, & Calumniatorum tela excutiat. Palàm omnibus liquet, & ſic euulgatum eſt, vt & lippis, & tonſoribus, quod aiunt, minimè ſit occultum; & inſuper, qui beneficium à Diua V. VVeyerenſi accepit, ipſemet ad probationis cumulum id fatetur; & quidem manu ſua. Is eſt prænobilis ac ſtrenuus Dominus Iacobus Henricus à Reitzẽſtein, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Principi Bambergenſi à Conſilijs, & eiuſdem Præſes in Satrapia Kupfferbergenſi. Nolumus aliorum verbis vti; rei ſeriem cum omnibus circumſtantijs Epiſtola ad Parochum VVeyerenſem M. Ioannem Dratzium ſcripta præclarè, integrè ac ſolidè ipſemet complexus eſt. Eam ex Germanico Idiomate in Latinum, quoad fieri poterit, de verbo ad verbum tranſlatam

Iſthic apponemus.

REVE-

REVERENDO ET ERVDITO DOMINO M. IOANNI DRATZ, Parocho VVeyerenſi, Domino atque Amico meo Chariſsimo.

REuerende & Erudite Domine, plurimùm dilecte; officia mea, & obſequia ſemper paratiſſima. Cùm intellexerim à R. Veſtra, Reuerendiſſimum & Doctiſſimum Dominum Fridericum Fornerum, Theologię Doctorem, Illuſtriſſimi Principis ac Domini mei Bambergenſis Cōſiliarium, & Vicarium in Spiritualibus, &c. à R. Veſtra expetiſſe, quandoquidem miracula omnia, vel ſaltem potiora, quæ in ſacra Aede Glorioſiſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ in VVeyer contigerunt, peculiari libello, haud dubiè ad propagationem, & incrementū ſanctæ Catholicæ Romanæ, ac ſaluificæ Religionis comprehendere, & vt honor Altiſſimi ab omnibus agnoſcatur, interceſſio quoque Glorioſiſſimæ Reginæ Cœlorum apud Aduerſarios noſtros eò teſtatior euadat, pro Officij ſui ratione in lucem dare conſtituiſſe, velleque præfatum Dominum Vicarium de nuperis miraculis veritati, & omnibus circumſtantijs conſentaneam relationem habere, vt re ipſa acciderunt; Inter alia verò magnum illud, & ſublime miraculum, quod mihimet in manu mea exhibitum eſt, notificari: Illud igitur declaro R. Veſtræ & explico ex ipſo veritatis fundamento, & ex conſcientia mea coram Deo: Cùm proximè præteriti Menſis Septembris die decimo quinto perquam Reuerendus & Prænobilis Dominus, D. Hector à Kotzau Imperialis Eccleſiæ Bambergenſis Decanus, Præpoſitus S. Iacobi ibidem, Canonicus VVirtzburgenſis & Sanctiſſimi Domini noſtri Summi Pontificis Camerarius, &c. Dominus meus Gratioſus, &c. ſplendido, & præclaro cum comitatu præcipuarum perſonarum Deiparæ Virginis VVeyerenſis Eccleſiā deuotè inuiſeret, ego ſubmiſſi, ac debiti honoris ergò cum aliquot mihi commiſſis ſubditis, Moſquetarijs, vt vocant, ei non ſolùm obuiam ire volui; ſed & ad ſacram Virginis Domum conducere, & comitari, eiq; inſeruire decreui.

Siquidem verò homines illi non omninò, vt meritò debebant, exercitati eſſent, inſuetum eiuſcemodi armorum genus tractādi, melioris ordinis, & inſtructionis ergò præcedenti veſperi, antequam Gratioſus

meus Dominus aduentaret, eos in Campos deduxi, & quantum in me fuit, docui vnumquemque omni diligentia, & instruxi in modo certo cum libramento onerandi, & displodendi, atque exonerandi sclopetum suum. Cùm verò eos è campis ordine membratim incedentes domum reducerem, iubens, vt ante Curiam Quæstoralem singuli suas Bombardas exonerarent, ingruente simul vehementi pluuia Mosquetæ partim ignem concipere renuerunt. Hinc ego ferreum pulueris Tormentarij vasculum in manibus tenens, compluribus recentem, & siccum puluerem incendiarium ad ignitabula effudi, qui omnes postea facilè exploserunt. Cùm verò inter alios postremo similiter puluerem subministrarem, is inter effundendum lingulam exoneratoriam premens, ad ignitabulum admoto ardenti lichno, incendiarium puluerem accendit. Exinde porrò sulfureus puluis in vase meo, quod manibus tenebam, igne concepto, momento citius vas ipsum, vti præ oculis, in multas partes diffregit, ac dissipauit, manumque meam ita miserandum in modum afflixit, vt pollex vnà cum vicino indice digito à manu planè auulsi, immò & pollex à iunctura inferiori muscalis volæ manus subiecta omninò disiectus in altera manus parte iaceret; & simul etiam index apud articulum tibiæ brachij vicinum eadem violentia totus omninò recisus, atque à manu separatus esset; manus etiam cum omnibus venis, varicibus, tendinibus & neruis sic omninò dilacerata esset, vt in tota dextra duorum vix digitorum latitudinis integra particula superesset; & quod periculosius, vena capitalis, quæ in pollicem sese extendebat, per medium disrupta copiosissimo sanguine manaret.

Casus mirabilis.

Horrenda manus à puluere tormentario disiectio.

Cùm ergo terribile hoc detrimentum haud dubiè ob peccata mea grauissima accepissem, ità malè affectam, dilaceratam, ac laniatam manum in sinistra reposui, & ex Curia Quæstorali vsque in domum meam, in VVehrt appellatam, me contuli magna sanguinis abundantia decurrente ex omnibus venis disruptis, atq; concisis. Domũ vbi peruenissem, nec vitam meam per horam adhuc duraturam existimarem, præ doloris magnitudine vocari curaui R. & Eruditum Dominum VVolffgangum Lãgium, Parochum Stadtsteinacensem, vt peccata mea confiterer, & Deo reconciliarer Interea priusquam ille veniret, incidit menti meæ recordatio Gloriosissimæ V. Mariæ VVeyerensis. Ergo votum illico feci, & oblationem promisi. Eodem momento, quo hoc factum, illicò in corde meo admirabile robur, & præter naturalem fortitudinem sensi, vt ab hora quinta vespertina, in qua hoc detrimentum accepi, necdum adhuc obligato vulnere, sanguine manantibus omnibus venis apertis & vulneratis, vsque ad duodecimam mediæ noctis perstiterim vegetus, & optimè ani-

Vulneratus parat se ad mortem. Votum ad Virginem.

matus.

matus. Sed & insuper etiam absq; singulari debilitate, & sine omni animi deliquio passus sum, vt primus post pollicem digitus, qui ab integro adhuc neruo pendebat, per totam manum vsque ad tibiam brachij nouacula exscinderetur, & reliqua dilaniata caro, quæ interiori vola manus frustatim dependebat, forficibus abscaretur, ac tandem pollex, qui paulò vlteriùs, quàm pollicis est latitudo, cum ossibus suis in articulos repositus imprimeretur, & cutis circũcirca fibulis cõsueretur, ita vt tã terribile vulnus, vbi omnia dissipata atq; disrupta fuerant, humanitus nullo modo potuerit curari. Et quod plus est, antequã duodecim horę effluerent, incepit horrendum hoc, & igne vstulatum vulnus contra naturam eiusmodi vulnerum purulentiam contrahere, & salua reuerentia pus emittere; ita vt Barbitonsores, qui postea superuenientes aderant, ipsimet confessi fuerint, Dominum DEVM in huius vulneris curatione ad oculum, & probabiliter operatum esse. Nam & à 16. Septembris vsque ad 27. Octobris tota manus omninò perfectè & integrè, etiam cum pollice, sanata fuit. Hoc ipsum Augustissimæ Cælorum Reginæ, Matri Dei attribuo, & acceptum fero, quòd fortissima intercessione sua apud Filium mediatorē & Saluatorem nostrum impetrauerit, vt ipse mei misertus pristinam valetudinem mihi restituerit. Ergo vt tantæ Opitulatrici in perpetuum gratias agam, eam venerer, & colam, obligatum me fateor: Verè enim extra miraculosum hoc Dei Deiparæque auxilium nunquam possibile fuisset, vt totis sex horis non alligatis vulneribus, nemine præsente, qui sanguinem sisteret, viuere, aut ad præsentem sanitatem peruenire potuissem.

Immane vulnus sine omni alligatura paulatim sanescit.

Et hic habet R. V.ta fundamentalem, & verissimam Relationem huius magni miraculi. Nouerit ipsa scriptum hoc meum eò destinare, quò conueuit illud transmitti. Commendo R. V.am, cum omnibus fidelibus Christianis, Omnipotenti Deo, & intercessioni Gloriosissimæ Virginis MARIAE, Matris Dei, Datum in Statt Steinach, 15. Decembris, Anno 1611.

R. V.

Semper optimus Amicus,
quam diu vixero,

Iodocus Henricus à Reitzenstein
manu propria subscripsit.

HAEC Epiſtola eſt Prænobilis Viri, quem Beata Virgo, mediante hoc Beneficio veluti cœleſti quodam pignore, ſibi voluit in poſterum obligare. Nemo inelegantia verſionis offendatur; quantũ enim fieri potuit, reddidi verbum ad verbum, ſeruatis linguæ noſtræ agnatis Germaniſmis. Hanc porrò genuinam eius Epiſtolam eſſe, quæ Germanicis etiam typis ante annos aliquot in lucem prodijt, non ſolùm, qui eam ſcripſit, Vir Nobilis, ſed & ex autographo, & prototypo atteſtabitur Notarius, & hæc eius verba:

Hoc præſens tranſumptum à me fideliter collationatum concordat per omnia cum ſuo vero originali ſubſcripto, miraculosè ſanata manu Prænobilis ac Strenuiſſimi Domini Iodoci Henrici à Rentzenſtein, Illuſtriſſimi & Reuerendiſſ. Principis & Epiſcopi Bambergenſis Conſiliarij & Toparchæ in Kupfferberg.

Ita ego VVolffgangus Ottlein Canonicus D. Stephani Bamberg. & Notarius publicus atteſtor manu propria.

Ocularis inſpectio miraculosè ſanatæ manus.

AD quid iſthic exaggerationes noſtræ? Res per ſe & clara, & grandis, & certa, & explorata eſt. Sile Calumnia prædicantica; quid ringeris? quid obgannis? non eſt vbi pedem hic figas; viderunt vulneratam manum illam Prænobilis ille Prælatus cum multis alijs in dignitate conſtitutis, præclaris, & authenticæ fidei viris: vidi & minimus ego, & non ſine admiratione vidi. Viderunt ſexcenti alij, & cum ſtupore viderunt, ac ſummis, O quàm hic Ilia tibi crepaturient! ſummum hoc Dei Matris Beneficium laudibus & præconijs debitis extulerunt: *Cur oculus tuus*, O Lutherane Zoile, *nequam eſt*, quia veritas iſta tàm clara, tàm manifeſta eſt, vt & ab ipſiſmet Chirurgis, minimè tamen Catholicis, non naturalis, non humanæ, ſed diuinæ, ſed prodigioſæ medelæ fidem, authoritatemque indepta ſit? Effrænem ergo linguam compeſce: tot omni exceptione maiores teſtes nec mendacio tibi imponent: nec tu aut cœcitatem, dum hæc coràm aſpicerent, eis affinges, aut eorum candidam indubitatamque fidem obſcurus quiſpiam tenebrio infringes.

Matth. 20.

CA-

CAPVT XV.

A DAEMONE VEHEMENTER VEXAtus liberatur.

BAmbergam, vnde paulò antè digressi, reuertimur, aliquantisper ibidem demoraturi. Andreas Schermesser Ciuis & Coriarius Bambergensis, habitans in Arenaria platea, cuidam vicino supra modum infensus, & infestus diris, atque ipsis malis genijs sese deuouerat, corpore non solùm, sed & cum anima ipsorum possessioni cessurum sese, nisi quem oderat, hostem suum trucidasset. Nec defuit impiger atq; hominum perniciem industrius Cacodęmon partibus suis in adeunda sui iam iuris facta domus possessione. Ergo hominem impetu validissimo aggreditur, interdiu noctuque quietis præsertim tempore sic torquet, sic excarnificat, vt gelido sudore ex omnibus membris guttatim erumpente, nihil aliud cogitare, nihil in memoriam reuocare valeat, quàm vel seipsum suspendio strangulare, aut gladio cultroue confodere, aut in flumen præcipitare, aut Vxorem, vel liberos, aut quemuis obuium, siue amicum, siue inimicum quauis occasione è medio tollere. Tanta porrò cogitationum istarum concertatio, tantus cum impetu furor erat, & vehementia, vt temperare sibi, & manus violentas continere vix posset. Et hostis insuper ad tam atrox scelus perpetrandum tela vbique, arma passim, occasiones nullo non loco suggerebat. Incendebatur internus mentis furor externis quoque compluribus variarum, quas sibi perperàm imaginabatur, iniuriarum repræsentationibus, adeò vt vel musca parieti obrepens humanæ cædis incitamentum præberet. Non deerat officio suo bonus ac tutelaris Genius: nam sæpius eo agente, inijciebatur scrupulus execrationum, quibus in corpore pariter, & anima Diabolicæ Tyrannidi se proprium dicauerat, & exinde pœnitudo aliqua suboriebatur; Sed nec seria, nec firma; omni momento reuertente atrocissima illa homicidiorum committendorum infestatione. Quin etiã parricidio inter priuatos parietes committẽdo sępè sæpius iam accinctus, funesta tela Diuina quadam, & occulta vi sibi è manibus extorqueri persensit. Malum erat & graue, & diuturnum; nec idoneum ei medicando remedium occurrebat. Deo tandem vicem eius miserante, inuisitur ab illis, quorum vocationi saluti animæ eius aduigilare ex officio incumbebat; ab his seriò monetur, si suæ cupiat saluti consultum, atque ab illa maligni infestatoris exagitatione liberari, solida fide, integraq; fiducia ad Deum cõfugiat, & Gloriosæ V. Dei Matris intercessionem cũ voto ad sa-

Diræ, quib' diabolo se dedunt Execratores, quã facilè à Cacodæmone exaudiãtur.

Diabolica vexatio.

Angeli tutelaris sollicitudo pro Cliente.

Inuisitur à Pastore Curato.

cram eius domum VVeyerensem ardenti prece expostulet, non ambigens de petitionis effectu Annuit ille tædio longissimi temporis molestiarum, disponiturque ad integram totius vitæ exomologesin, quam nunquam fecerat, ritè obeundam, sacramque Synaxim suscipiendam. Fit votum, adhibentur cætera, quæ ex Ecclesiæ præscripto vsurpari consueuere. Compèscitur & fugatur Dæmon, & hominem ita liberum relinquit in hanc horam, vt nullam amplius vexationem eiusmodi ausus fuerit intentare. Media itaque hyeme, Mense Februario in profundissimis niuibus, cum aliquot pijs hominibus, qui præsidij causa, timentes, ne forsan diabolica exagitatio rediret, aut viæ, aut certè deuotionis comites sese adiunxerunt, itineri se accingit, sacram Deiparæ VVeyerensis Memoriā inuisit, voti solutionem dependit.

Vexatus liberatur.

Noua iterum & miranda huic Virginis Gloriosæ Beneficio, voto iam expleto, gratia superadditur. Sic corporis viribus exhaustus erat ab exantlata malorum geniorum oppugnatione, vt nulli amplius manuum labori sufferendo idoneus putaretur. Sed ecce ab eadem hora sic viribus auctus à sacra domo discessit, vt se tota anteacta vita nunquam robustiorem persenserit. Atque vt eò maiori gratitudine liberationis Beneficium reiteraret, quamplurimis postea Auctor fuit, vt abominabilem diris ac Dæmoni sesé deuouendi consuetudinem omninò abdicarent. Sic piscator ictus sapiebat: sic alios exemplo suo sapere docebat. Sequitur Notarij & testium asseueratio.

Beneficium alterum priori additum.

Anno 1612. 11. Martij, coram Admodum R. D. Vicario in Spiritualibus, &c. in eius Curia Canonicali comparuit honestus Andreas Schermesser, &c. referens, &c. (vt de verbo ad verbum retulimus) interfuere huic relationi, vt requisiti testes, R. D. M. Nicolaus Hofman Canonicus S. Stephani, & Sebastianus Durrbeck Vicarius Ecclesiæ Cathedralis, & Capellani D. Virginis.

In fidem præmissorum omnium, ego VVolffgang. Ottlein D. Stephani Bamberg. Canonicus authoritate Pontificia Notarius publicus ad hæc specialiter requisitus testor, me hæc omnia audiuisse, annotasse, & in huius libelli forma descripsisse manu propria.

CAPVT XVI.

MATRONA A LETHALI ET MVLTIPLICI MORBO IN vita seruatur.

PRouidentia diuina sic vitam hominum attemperat, vt prosperis aduersa immisceat, & his illa, veluti sertum è floribus collectum, suis internodijs concinnè distinguat. Id sanè existimo diuino consilio euenisse honoratissimæ Matronæ Bambergensi (nomen suum eo tempore certis de causis tegi volebat) quæ opibus propollens, diuturna rerum omnium prosperitate floruerat, & ne Dei gratia penitus excideret, ipsamet afflictione aliqua à diuina prouidentia, ad emendationem vitæ suæ tangi desiderabat. Nec defuit eius piæ voluntati paterna diuini in homines amoris dispositio. Eo igitur ipso anno, quo hæc coram Notario, & testibus recitabat, atque in Actuaria VVeyerensis Ecclesiæ referri petebat, lethali planè, sed ipsismet Medicis peritissimis incognito morbo obruitur; in quo integrarum sex hebdomadarum spacio nullo humano cibo, quicunque is esset, frui licuerit, quantumcunque ipsa tentasset comestionis ergò vim sibi inferre. Accedebant cordis palpitationes, capitis ac cerebri vertigines, neruorum conuulsiones Epilepticæ, diurnæ ac nocturnæ agitationes, & quod summa mali, angina sic fauces, sic linguam ampullerat, ac denigrarat sic guttur intumuerat, vt iam iam loquela deficeret. Domestici præter certissimam mortem aliud nihil expectabant. Hoc vnicum singulari Dei beneficio reliquum erat, quòd in tot doloribus rationis vsum nunquam amitteret; quin omni ferè momento, quoad dolores sinebant, mentem in Deum eleuaret. Exacto igitur in tantis miserijs supra integrum dimidiato iam mense, inspiratur ei; vndenam? facilè cogitatu; inspiratur, inquam, Deiparæ Virginis VVeyerensis memoria, firmissima spe subnixa, fore vt eius Patrocinio apud filium perfectam sanitatem assequatur. Vouet itaque argenteum auro illitum calicem cum cœco, quamprimùm ex ea inualetudine aliquantulum respirasset, offerendа. Votum deinde Domesticis communicat, à quibus cum gaudio singulari fiducia mixto approbatur. Ex illa hora cessat morbus, cessat inedia, cessant aggrauantia, quæ diximus morbi variorum Symptomatum, additamenta, vt nemo esset, qui vel manibus non palparet, Dei digito interueniente, Virginis fauore hæc geri, sanitatem & vires Matrisfamilias redintegrari. Et huic beneficio robur à Notario & testibus:

> Vita hominis prosperis & aduersis temperatur à Deo.

> Boni quandoque petunt sibi afflictiones à Deo immitti.

> Variorum vna vice morborum impetus.

> Rationis vsus integer in tot morborum assaltu.

Anno 1612. 3 Martij coram me Notario publico VVolffgango Ottlein D. Stephani Canonico, & testibus infrasignatis in Sacristia Parochiæ Deiparæ Virg. præcipua quædam huius Ciuitatis & honesta Matrona, quæ tamen nomen suum hac vice ex causis multis ne exprimeretur, rogabat, &c. Explicans, &c. Sequitur tota relatio, &c.

Actum die, Mense Anno & loco, vt suprà testibus ad suprà dicta requisitis, RR. ac perdoctis Dominis M. Nicolao Hofmanno Ecclesiæ S. Stephani Canonico Cathedrali Vicario, & Parochialis ad D. Virg. Sacellano, Ioãne Schrammio, Parocho in Bettstadt, & Friderico Bauerschmidt præfatæ AEdis D. Virg. Choralista & AEdituo.

VVolffgang. Ottlein, qui suprà M.P.

CAPVT XVII.

VIRGO E LETHALI MORBO IN VITA seruatur.

QVod modò sum narraturus, Brigita Lichtenfelserin honesta virgo honesti viri filia coram superiùs nominatis Notario & testibus vltrò recensuit; nec ipsa solùm; sed & multi fide digni homines pro ipsa fidem fecere. Febris acuta, & planè lethalis eam occupauerat; nec solùm omnem rationis vsum amiserat sed & ad extrema veniens ac propemodum exanimis in lecto decumbens, octo integris diebus nec cibi, nec potus guttulam vel minimam degustarat; neque si voluisset, aut sumere aut deglutire valuisset; Sic enim angina vredine sua fauces exusserat, & meatus ita occluserat, vt ne vix quidem suspiraret; quid, obsecro, solidioris cibi transijsset? nec deerant communis in Franconia morbi Epilepsiæ molestiæ, vt grauiora sileantur, quæ accessionibus suis periculum vitæ maiorem in modum exaugescebant.

Extremum vitæ periculum.

Verùm ab ipsa non omnino ita recesserat Opt. Max. DEVS, vt ex hoc malo pro eius animæ salute aliquid boni non colligeret, quod solus ipse potest, qui est summum bonum. Datur ei haud dubiè diuinitus lucidum rationis interuallum, vt de DEO, deque diuinis rebus cogitationes in eius pectore oboriantur. Tum ergo cùm fari non posset, mente concipit votum ad sacram Deiparæ VVeyerensis Ecclesiam peragendum, ac se vitamque suam Gloriosæ Dei Matris tutelæ ardentissimis precibus studiose commendat. Et ecce gradum ab vno beneficio ad alterum. Redit

DEVS è malo colligit bonum.

illicò

illicò vsus loquelæ, votum animo iam designatum verbis exprimit, & alterum ad S. Trinitatem in Gosvveinstein superaddit. Rursum aliud non simplex, sed multiplex beneficium. Redit appetitus cibi, potusque, febris aufugit, angina extinguitur; epilepsia se omninò subducit. Ipsa porrò intra paucos dies viribus restitutis integerrimè conualescit.

Exceptum & annotatum à Notario in præsentia testium, anno, Mense, & die, vt suprà.

VVolffgangus Ottlein Canon. S. Steph. Notarius publicus, &c. M.P.

CAPVT XVIII.

QVIDAM A PESTE LIBERATVR, ET VITAE periculo eximitur.

Simile.

QVemadmodum hastilia quædam sinuosis detorta flexibus, vt corrigamus, adurimus & cuneis impacta, & adacta, vt flectamus, & ad rectitudinem dirigamus, non vt frangamus, violenta manu tractamus: Sic summus ille rerum omnium moderator homines variarum calamitatum pressuris quandoque coarctat, non vt perdat, sed vt ad rectum salutis æternæ tramitem dirigat, quasi fræno à varijs peccatis coercet. Videor id mihi spectare in hoc, quod sequitur, viuo exemplo.

Calamitates cur Deus immittat.

Vir quidam honoratus Bambergæ incola, non ex infima plebe, sed ex primoribus (rogans tamen ad tempus nomen suum silentio premi) in præsentia Notarij & Testium, vltrò & sua sponte sibi à Deipara Virgine collatum insigne beneficium publicauit. Idque legitimo eorundem testimonio obsignari rogauit. Cùm in Autumno anni præteriti Rotarius quidam ad radices montis sancti Stephani habitans, Geroltzhouium (oppidum id est Franconiæ non incelebre, vbi pestis horrendè grassabatur) negotiorum causa profectus, contracta lue ægrotus huc domum suam redijsset, & sequenti die illicò animam efflasset, viso derepentè eius funere, cùm humandus efferretur, summo pauore, formidine ac tremore perculsus est, vt gelidissimo ex omnibus poris emergente sudore totus maderet. Non stitit hic malum; pestis eum simul etiam inuadit. vbi primùm domum suam ingreditur, ardorem insolitum

Pestifera lues è solo funeris aspectu contrahitur.

Dolor ingens è bubone peſtifero eum pente.

ſub altera ſentit axilla; veſte igitur exuta, nudatoque corpore videt eo loco erupiſſe ingentem bubonem latitudinis explicatæ manus. Tantus porrò inde dolor inſurgebat, vt vix ſui compos tota ea nocte nec vnico momento ſomnum caperet. Cogitat itaque ſecum, exquirit per Domeſticos, & inquirit, qui opem ferat; At opitulator, qui ferat, nemo ſe offert, nec medicus aliquis, licèt magno ære conductus. Quid hic faceret conſilij pariter & medelæ dubius? ad cœleſtem illam Archiatram, Virginem Dei Genitricem ſupplici mente proreptat, & ad eius miſericordiæ genua, vt miſericordiam impetret, ſe proſternit, ad ſacram VVeyerenſem Baſilicã peregrinationis cum confeſſione, & ſacræ Euchariſtiæ perceptione votũ dirigit. Nec mora, non effluit quarta pars horæ, Bubo ille tanti doloris, tantæ vſtionis, tanti periculi Origo & ſedes euaneſcit; ipſe verò totus cõſaneſcit, redeunte appetitu cibi & potus, ac nullo penitus morbi veſtigio remanente.

Voto peregrinationis ad ſacram Domum peſtis fugatur.

Beneficium a Deo per Virginem collatũ non aperit.

Incuſabat ſemetipſum, & ingratitudinis arguebat vir ille alioqui optimus, quòd vſque ad hanc diem tantum Virginis Glorioſæ beneficium tacu iſſet, voto licèt perſolutum. Quare cùm ab eo tempore in inſperato quodam, maximoque infortunio ſimili ad Deiparam VVeyerenſem voto præſentaneam illicò opem expertus eſſet, timebat, ne vlteriori ſilẽtio talis gratiæ, in futuro aliquo caſu, qui humanitùs accideret, ſe omninò indignũ, & incapacem redderet. Quare conſcientia, inquiebat, me adegit, vt victa verecundia inutili, rem totam vobis ad laudem Dei, & Benedictæ Virginis Mariæ aperirem.

Beneficia Deiparæ ſilentio non tegenda.

Fraus Diaboli in ſupprimendis virginalibus beneficijs.

Hæc vtinam cogitatio quamplurimis alijs Religionem incutiat, qui tot tantiſque beneficijs Diuorum atque in primis Glorioſæ Virginis interuentu cumulati, nec ad propagandam Dei gloriam, nec ad ædificandam, & augendam aliorum deuotionem in publicum prodire ſinunt; ſed ſubruſtico, ne dicam, planè atheo rubore prohibente ſilentij, & obliuionis tenebris recondunt. Id ſcilicet agit Diabolus, id vnum conatur, vt omnis diuini cultus, & deuotionis in Diuos, ac Dominam noſtram præcipuè ſeges ac meſſis turbetur, & in herbis quodammodo opprimatur.

Ego Notarius infraſcriptus in præſentia R. R. D D. M. Nicolai Hofmanni Canonici S. Stephani, & Sacellani B. Virg. & Ioannis Schrammij Parochi in Bettſtadt ad hæc requiſitorum, & c. audiui, & c. Actum in Parochiali Eccleſia D. Virginis, 6. Aprilis, Anno 1612.

In fidem VVolffgang. Ottlein Notarius publicus manu propria ſcripſit.

CAPVT

CAPVT XIX.

ALIA FOEMINA A GRAVI MORbo iam in extremis vitæ reseruatur.

VT probroso vituperio digni, qui Dei beneficia ingrata ἀμνησίᾳ occultant: sic meritò laudandos censeo, qui ea, vt DEVS Gloriæ suæ fructum vberiorem exinde percipiat, ad aliorum notitiam producunt. In quorum numero collocanda, de qua sermo, pia fœmina, quæ vt quantum in se erat, reponeret cum fœnore, quod cœlitus acceperat, coram Magistratu suo vltrò & sua sponte Virginis Matris interuentu præstitum beneficium profitetur.

Beneficia diuina manifestare pium est opus.

Inciderat ea in febrim pestiferam, & acutam, è qua non solùm cum capitis dolore intolerabili secuta est phrænesis, quin etiam cum omnium membrorum cruciatu incredibili totius corporis tremor, & alia grauiora periculi augmenta, quæ omnia recenseri, ad quid necesse? eò tandem res deuenit, vt omnibus exhausta viribus sacra synaxi percepta, multorum dierum spatio sine cibo, sine potu, sine loquela, sine sensu & motu propè exanimis iaceret, & nihil aliud, nisi quod iam iam extremum halitum efflatura esset, à Domesticis, & vicinis expectaretur. Vir prudens Maritus cùm in morbi principio, quando mentis inops, quid proferret, ignorabat, nihil aliud loquentem audisset, quàm hæc & similia: adeunda mihi est Diua Virgo VVeyerensis; aliàs non sanabor, peregrinationem pro illa spondet: Et ecce statim resumptis aliquantisper viribus ad se redit, affirmans B. Virginis Patrocinio sese à periculo illo liberatam iri.

Agonizans sperat à Deipara sanitatem.

Voto proinde coram omnibus, qui aderant eius vitæ finem præstolaturi; instaurato illicò cum omnium membrorum dolore morbus disparuit cunctis stupentibus, qui id præsentes spectabant. Remanebat duntaxat tremor aliquis in manibus & pedibus, qui tamen, cùm iter VVeyerense voti persoluendi gratia ingressa fuisset, penitus etiam cessauit. Hæc coram Magistratu suo pia hæc Matrona gratæ memoriæ ergò voluit manifestare. Addidit & hanc protestationem, velle se hoc tantum Beneficium Gloriosæ Virginis coram omnibus hominibus, quoad vita superstes foret, prædicando, & extollendo Gloriosam Virginem encomijs & laudibus, quibus plusquam dignissima est, quà suæ se facultates extenderent, nunquam non exornare. Vt verò maior fides huic narrationi accrescat, Notarij & testium, in quorum præsentia facta est, authoritas accedat.

Benè ab omnibus morbi reliquijs liberatur.

Anno 1612. 22. Aprilis in Curia Canonicali R. D. Felicis Götzij Canonici, Scholastici, & superioris Iudicis, ad S. Iacobum, Comparebat honesta Matrona Otilia Ioannis Fleischmanni Ciuis, & in S. Iacobi Immunitate Victoris vxor coram testibus requisitis R. R. R. D. D. D. M. Nicolao Hofmanno Canon. S. Steph. Philippo Getzendorffero Custode & Ioanne Grebbero Summissarijs Collegiatæ Ecclesiæ S. Iacobi, vltrò suâ sponte aperiens, quomodo Mensis Martij 10. die huius currentis anni, in periculosum, & desperatum morbum &c. vti superius descripta &c. Quæ omnia ego Notarius cum præfato D. Iudice, & testibus, in specie & distinctè percepimus. Ea itaque annotaui, & in hac forma descripsi:

Christophorus Ludvvig Notarius Publicus, & hoc tempore Scriba iuratus Iudicij Immunitatis S. Iacobi ibidem, in bonam fidem subsc.

CAPVT XX.

CAECVS VTROQVE OCVLO A CAECITATE pariter, & ineffabili cruciatu liberatur.

QVOD sequitur, non vulgare, non triuiale; sed insigne, & euidens miraculum lubet eisdem verbis, quibus à Notario describitur, à vernacula nostra in latinam linguam transferre.

Anno 1612 30 Iunij comparuit coram Circumspecto, Clarissimo, ac prudentissimo Domino Leonardo VVinheim Seniori Consule Bambergensi, in præsentia spectatissimi Viri Georgij Hack Senatoris, & aliorum, ac mea etiam Notarij infrascripti, Henricus Mayer Ciuis Bambergensis, habitans in via lapidea, vltrò teste conscientia sua coram DEO, & cœlitibus vniuersis relaturus insigne, & miraculosum beneficium (antea quidem toti viciniæ suæ satis notum, ac manifestum) per preces, & intercessionem Gloriosę Virg. MARIAE Dominæ nostræ sibi collatum. Laborauerat iam diu intolerabili, & vti sibi persuadebat, Medicique dictitabant, præternaturali, siue hemicranij, siue alio capitis dolore nulla medicina sanabili. Exinde secuta æstuantissima defluxio, quæ exoculatum breui vtriusque luminis vsu penitus orbauit. Remanserat quidem in dextro oculo species quædam exigui splendoris, quo tamen mediante nec vllum hominem agnoscere, neque etiam res, mole prægrandes licèt, discernere posset. Tametsi verò incredibiles, & maximos sumptus

Intolerabilis capitis dolor, caussa excæcationis.

in Me-

in Medices & Oculistas, quos vocant, expendisset, qui albuginem, qua oculorum pupillas obductas esse affirmabant, tum corrosiuis malagmatibus, tum scapellorum puncturis deterere, atque auellere moliti essent, omnis tamen eorum labor in irritum cecidit; sed & cum centuplicato dolorum incremento, dextrique oculi, subobscuro fulgore planè etiam extincto, cò res deuenit, vt furore correptus, & œstro quedam insaniæ percitus, quà fremendo, quà in Domesticos sæuiendo immanitatem ferinam imitaretur. Durabat ea miseria non paucis diebus, sed multis mensibus.

Ophth. Imi orum. Chi urgorum pera frustranea.

Furor è ni n oculo um dolore.

Tandem verò desperato humano auxilio, præcipuorum, ac piorum quorundam hominum consilio instructus omne præsidium suum in Domino DEO, & in patrocinio Gloriosissimæ Dominæ nostræ B. V. MARIAE collocauit, ac simul etiam votum edidit vnà cum argenteo donatiuo peregrinationem ad sacram illius Aedem VVeyerensem instituendi quamprimùm per valetudinem liceret. Nec sine fructu. Nam illo momento, quo votum animo conceptum ore protulerat, immensus ille capitis dolor, quod nunquam antea perceperat toto eius morbi tempore, sensibiliter, & notabiliter mitigatus remisit, & paulatim ac sensim penitus euanuit, vt nihil amplius molestię præter exoculationē in capite sentiret.

Beneficium primum.

Videbatur porrò sibi contentus hoc beneficio, etiamsi luminum vsus non rediret: at Virginis Matris munificentiæ id satis non erat. Vt ergo satisfaceret voto, vnà cum Ioanne Backoff filio suo tutelari, & alijs, cœcus licèt, nihilq; videns itineri VVeyerensi se accinxit, illudq; feliciter perfecit vsque in Statt Steinach. Exinde, cùm quod reliquum erat viæ, pergeret & iam in montis superc lio, vnde VVeyerēsis Ecclesiæ turris omnium primò à peregrinantibus cò & visitur, & Diua salutatur, subitus quidam, & repentinus pauor, & tremor cum intima commotione cordis, & totius mentis alteratione, qualem nūquam in vita senserat, eum inuadit; sub quo in momēto diruptis veluti pellibus oppansis, oculi clausi aperiuntur, & tanta claritate illuminantur, vt totam sacram Aedem Deiparæ Virginis distinctè, & clarè ante se videat, licèt aliorum nihil adhuc conspiceret. Alterum hoc beneficium.

Beneficium secundum.

Sed ecce tertium. Vbi peruentum ad sacram Domum, tametsi paulò serius, intrauit tamen, & Christo Domino, ac Beatissimę eius Matri impensissimas egit gratias pro tantilli luminis dono, rogans, vt si saluti animæ suæ consultum foret, integrum oculorum lumen elargiri dignaretur.

Beneficium tertium.

Finita oratione, cùm distinctè adhuc nihil cernens in via, ad diuersorium se contulisset, vbi paululum requieuisset, nouo pauore ac tremore denuò correptus, & mente corporeque quasi totus immutatus, & innouatus, ac rore quodam cœlesti perfusus, sentit oculos omninò apertos, ac perfectissimè illuminatos, ita

vt om-

vt omnia, etiam minutissima quæque, quantumlibet exigua essent, & atoma, clarè, distinctè, & discriminatim videre potuerit. & nominibus suis quæque insignire. Accessit ad luminis beneficium ineffabile mentis gaudium quo sic recreabatur, vt de cibo potuque nihil cogitaret. Mane facto sacram Domum repetijt, & iam duobus Cæreis argenteos duos oculos, quos Bambergæ ad hunc vsum fieri curauerat, cum gratiarum actione obtulit, & vtramque, tum mentis, tum corporis sanitatem Gloriosissimæ Virgini deuotissimè commendauit. Cultu tandem Diuino, sacrisque mysterijs peractis, omnibus qui ad spectaculum concurrerant, magnalia Dei deprædicans & Gloriosæ Virginis VVeyerensis fauorem & gratiam sibi tam luculenter exhibitam laudibus, quibus poterat, extollens, in Domino exultans Bambergam repedauit. Vbi, qui eum antea multo tempore cæcum nouerant, videntem, luminibus restitutis, cum maximo stupore viderunt.

Beneficium quartum.

Addidit & hoc; ab illa hora se ne minimum capitis, aut oculorum dolorem percepisse. Quinimò oculos suos iam multò clariores esse, quàm vnquam anterioris vitæ spatio extiterint. Tametsi enim sinister oculus (quod sine dubio diuina prouidentia ad magni huius miraculi euidens testimonium contigit) adhuc tenui quadam pellicula obductus videatur, id tamen visum non impedire, verùm etiam eo mediante clariùs & acutiùs sese videre, quàm cum dextro.

Beneficium quintum.

Hæc relatio facta est Anno, Mense & die, vt suprà, coram &c.

Conradus Löfflerus Notarius Publicus, nec non Synodicus Scriba Ciuitatis & Senatus Bambergensis, manu propria subscripsit.

CAPVT XXI.

PVELLVLA SEPTENNIS, LVXATO, GRAVISsimeque sauciato pede, curatur.

SVPERIVS iam recensitum, presso calcaneo, iure sequitur aliud non sanè contemnendum à Virgine profectum beneficium, coram ijsdem, Consule & Notario verùm alio die, Mense, & anno copiosè relatum, & fusius etiam publicis Tabulis consignatum. Nos vt breuitati consulamus, è totius historiæ decursu potiora quædam ad rem nostram pertinentia, reliquis illibatis, decerpamus.

Georgius Hornung, Ciuis & Hortulanus Bambergensis filiolam habebat septennem, Ameliam nomine. Hanc Pangratij Braun alterius hortulani filia, parente planè inscio, ad publicas Choreas (quæ in plateis principalioribus, O propudium modis omnibus à Magistratu exterminandum, æstiuo tempore incredibili iuuentutis accursu, verùm non sine pestifera eiusdem corruptela, hinc inde frequentari solent) in ipso Corporis Christi festo pomeridiano tempore deportauerat. Verùm baiula ineptijs, & gesticulationibus tripudiantium plus fortè, quàm satis est, intenta, paruulam è brachijs decidere permisit ex incuria, vt ad saxum allisa, non solùm pedem luxaret, verùm etiam tibiam grauiter vulneraret. Domum ergo ab alio reportatur.

Choreæ publicæ quã noxia

Tumore pedis, ac tibiæ graui læsione animaduersa, pater subesse ratus, quod erat, periculum, illicò Pisbergam ad quendam Seniorem, Croenerum nomine, artem luxata membra curandi profitentem, in comitatu suo gestari curauit. Adhibet is omnia artis experimenta; sed frustrà; malum non solùm non tollitur, verùm etiam magis magisque augetur incredibili cum paruulæ dolore. Suadent amici, & persuadent, vt aduocato carnifici, quem huius medelæ peritissimum dictitabant, & vulgò habebatur, filiam curandam committeret. Paret monitis, sed & is multo tempore frustraneum laborem impendit, malo cum dolore in dies maiora incrementa capiente. Consulitur inde, vt ad quendam alium Luxatorum membrorum curatura percelebrem, in Oppido Lichtenfels habitantem, filiam deducat. Et hac vice morem gerit. At is similiter in cassum laborat. Res ergo denuo in seriã deliberationem vocatur; & è re videtur, vt alius quidam Seichendorpensis incola, quem ipsemet parens puellulæ in horæ vnius quarta parte quinque diuersos à membrorum luxatione felici successu curasse viderat, accerseretur. Fit quod proponitur; aduocatur homo ille, & manum operi admouens, emacerat, & torquet misellam plus cæteris tribus; sed irrito iterum conatu; perdunt oleum, & operam omnes totius anni curriculo puellam summis doloribus excruciantes, & nihil minùs, quàm sanitati eius opitulantes: neque enim vel minutulo temporis puncto ægra quietis aliquid capiebat.

Curatio frustranea prima.

Altera.

Tertia.

Quarta.

Dolebat bonus Pater infaustam filiolæ vicem, & malo vbique remedia quæritabat, vbi se ea inuenturum sperabat. Chirurgum ergo vnum ex Bambergensibus, Barbitonsores vocant, & consulit, & largioris promissione stipendij in partem auxilij vocat. Nomen eius Notarius exprimit; at nobis id non lubet, vt eius existimationi consulatur.

Suscipit is puellæ curam, asserens latifundium pedis non luxatum solùm, sed & fractum esse. Ergo corrosiua applicat malagmata, & erosis carnibus

Quinta curatio frustranea cū nouo alio malo.

vulnus infligit exteriùs, vt interiora pedis membra corrigantur. Sed ecce de malo in peius; Et nouum infortunium; in ipso vulnere carcinomata excrescunt, quibus amoliendis corrosiuis emplastris alia corrosiua liquida, heu quanto cum dolore puellulæ, addenda erant, vt inflammatæ suppurationi sanas etiam atque integras carnes tabe sua taboque inficiturienti maturiùs occurreretur. Continuata hæc emaceratio triginta, & eò amplius septimanis; nec pes, nec tibia, nec vulnus spem vllam sanitatis ostentant; Ita vt Chirurgus ipse spem omnem fructuosæ medelæ abijciens, misellam omninò deseruerit. Sic integro biennio puella omni ope destituta, purulentia, sanieque magis magisque cum doloribus incrementa sumente, lecto adhærens decubuit; Quanto cum dolore, quantis cum cruciatibus, facilè est æstimare.

Cur Deus Innocentulam ita permiserit cruciari.

Erit fortè, qui admiratione raptus secum ipse disquirat, & in diuinam prouidentiam curiosiùs inquirat; Cur innocentulam tot cruciatibus subiectam tanto tempore vexari permiserit Numen, & vel remedijs naturalibus toties iteratis sanitati non asseruerit, aut quod ei salubrius, ex hac miseriarum valle protinùs non euocauerit? Protestor nolle me arcana Dei consilia laxiùs peruestigare, temerarioque scrutinio impudentiùs explorare: Si tamen meæ sit locus aliquis sententiæ, totum id, quod cum puella gestum, ad maiorem Dei gloriam, & Benedictæ Cœlorum Reginæ honorem, ac deuotionem inter fideles augenda cessurum, & prouidebat Deus, & suauiter disponebat; Dum intereà parentum patientiam exercens, meritum eorundem adaugebat. Quod dico, probabit euentus.

Responsio.

Vtilitas auditus concionū Verbi diuini.

Interest parens in quadam Virginis festiuitate sacræ concioni, sub qua dum Concionator de Virginis Gloriosæ benignitate in omnes calamitosos, & afflictos ad ipsam opis causa confugientes dissertationem instituisset; inter alia beneficentiæ eius in sacra Domo V Veyerensi recordabatur. Parens ergo, ac si diuino quodam fato hæc soli sibi insinuata forent, immò cœlitus demandata, intra se in animo de voto pro filiola sua Deipara VVeyerensi decernendo cogitat. Domum rediens, re cum Vxore communicata, mente conceptum explicat votum & confirmat. Eo continebatur, si filia à graui illo de die in diem magis augescente cruciatu, quo tanto tempore conflictabatur, tandem aliquando liberaretur, quotannis seipsum, donec id filiola ætatis & virium, ac facultatum permissu effectum dare posset, sacram VVeyerensem Basilicam visitaturum, & ceræ libram oblaturum.

Quis hîc præsentem Dei manum non obstupescat? voto emisso,

sed

sed necdum persoluto, putridum vulnus sine omni remedio saniem ebulliendo è vulnere eijcit, & ipse vulneris hiatus coit, caro cum carne coalescit, intra paucos dies sine omni dolore tibia cum pede consanescit. Surgit è lecto puella, sine difficultate ambulat, parentibus, vicinis, & cognatis iucundum pariter, & admirabile spectaculum præbet. Heus tu hæretice subsannator cultus & honoris Deiparæ Virginis, quid tibi de hoc prodigio videtur? estne vbi caninos dentes tuos infigas? Apage, erubesce, & obmutesce. En tibi publicam Tabellionis fidem.

Voti præsentaneus effectus.

Relata sunt hæc à Georgio Hornung, Ciue & hortulano Bambergensi, in præsentia Clarissimi & Ornatissimi Domini Leonardi VVinheim, Seniorù Consulis, & Georgij Hack Senatorù Bambergensis aliorumque multorum & à me fideliter, cum omnibus circumstantijs descripta, & in hanc formam redacta, Anno Domini 1613. die Mercurij, quæ erat 9 Ianuarij.

Conradus Löffler Notarius Publicus, ac Synodicus Scriba Senatus, & Ciuitatis Bambergensis, in fidem manu propria.

CAPVT XXII.

INCVRABILIS CRVRIVM DOLOR persanatur.

CIRCA idem tempus Gloriosa Virgo VVeyerensis nouo fauore Bambergenses suos sibi voluit deuincire. Ioannes Nagengast, ab Equo inseruiens Nobili ac strenuo D. Christophoro à VVisentau Consiliario Ill.mi Principis, & Episcopi Bambergensis, ac Ciuitatis Præfecto, &c. multo tempore cruciatus supra modum terribiles in cruribus pertulerat, nec interdiu, neque noctu vllam quietis intercapedinem à mensibus aliquot percipiens. Adhibuerat Medicos, & Chirurgos non solum Bambergenses; sed & alios exoticos, quorum tamen ne vllus quidem morbi sui naturam aut proprietates, aut speciem, aut genus dignoscere, aut nomen edere potuerit, cùm exteriùs, neque tumor, neq; excessiuus calor, neq; frigus, neq; aliud quodpiam mali affectus signú

Morbus incognitus.

compareret. Humanis ergo medijs omnibus, quæ desperatio iam in nihilum redegerat, sepositis, animæ saluti sanctissimorum Sacramentorum perceptione consulere instituit, cùm nihil aliud restare existimaret (cui opinioni non solùm ipse Nobilis Dominus eius, sed & alij, quicunq; eum visitabant, adstipulabantur) quàm decessum ex hac vita. Incidit tandem (haud dubiè bono agente Angelo, mentio beneficentiæ Dominæ nostræ VVeyerensis. Exurgente ergo in eius pectore singulari quadam, & diuina fiducia, peregrinationem cum votiuo munere ad locum eum pollicetur. Ab ea itaque hora mitigatur acutus ille, & acerbissimus dolor, & ab hora in horam sic emollescit, vt sequenti die nihil amplius superſit, tametsi pedes, & crura officio suo necdum adhuc probè, & integrè perfungerentur. Annuente ergo, imò & promouente negotium Nobili Domino, Equum conscendit, ad Deiparam VVeyerensem properat; Vbi cùm cultui Diuino interfuisset, & quod promiserat, debitum exsoluisset, egrediens, comperit pristinum robur, ac vigorem crurium, & pedum, integramque totius corporis sanitatem redijsse. Quod eò certiùs comprobauit, cùm totum iter, vix semel iterumque obequitans, pedes confecit.

[Margin: Voto Diuæ facto dolor mitigatur.]

Anno Domini 1612. 2. Maij; in domo Ornatißimi & Clarißimi viri D. Matthiæ Mosigini, Capituli Cathedralis Ecclesiæ Bambergensis Syndici, coram me Notario infrascripto, & R. D. Magistro Nicolao Hofmanno Vorchemensi, Ecclesiæ S. Stephani Canonico, & D. Virginis Sacellano, & Nobili & Amplißimo Domino Christophoro à VVisentavv, Consiliario Principis nostri ac supremo Ciuitatis Sculteto, nec non etiam Præfecto, Domino Matthia Mosigino &c. ad hoc requisitorum Ioannes Nagengast, Seruus Equestris, eiusdem Nobilis D. à VVisentavv, referens &c. Quæ omnia ego fideliter annotaui, & in hoc scriptum redegi.

Ioannes VVolffius Notarius, & Fiscalis, in fidem subscripsit.

CAPVT XXIII.

QVIDAM A GRAVISSIMA HOSTIS maligni, quem ad symposium inuitauerat, exagitatione redditur immunis.

NICOLAVS Reublein, Ciuis Bambergensis, in platea degens, cui ab arena nomen, ad intersigne albi equi, circa tempus Paschale multo vino, cōmuni nostrorum Germanorũ vitio, sese ingurgitãs, iam

planè temulentus,horrendas inter pocula, cum diris & execrationibus, effundebat blasphemias,quas cùm nemo è sympotis æquis auribus haurire posset,ac tolerare,omnes ac singuli ab eius conuersatione sese paulatim subtraxerunt.Ergo incandescens,post alia multa Christiano homine indigna,quæ iam profuderat,imprecationū anathemata,& maledicta,his etiam dicterijs Cacodæmonem ad sympolium suum inuitabat: Si nemo vult mecum bibere,tu veni Diabole,& mecum bibe. Vix verba effatus erat & ecce terribilis pauor,& tremor irruit in eum,vt incipiat furere,& insanire,vociferari & frendere dentibus,spumare,nunc eleuari, & inuisibili quadam manu fustigari,nunc terræ allidi, nunc de Dæmonis violentia conqueri,& viuum se ab eo abripi vehementissimè lamentari. Durauit immanis hæc Diaboli carnificina plurimis diebus.Adhibita sacra amuleta,& alia,quæ Catholicæ Ecclesiæ authoritas præscribit; At aliud non proficitur,quàm vt è diuturno furore paulisper ad se redeat, & recollectis cogitationibus, grauissimum errorem suum agnoscat, & doleat, se tam temerè Diabolum iuratum humani generis hostem inclamasse.

Temeritas Dæmonem ad se vocātis.

Vexatio Diaboli consecuta.

Suadetur itaque,vt abrenunciando hosti maligno,& à Deo cum proposito confitendi erroris veniam petendo, Votum Deiparæ Virgini VVeyerensi nuncupet, haud dubitans armis hisce hostis immanissimi potestatem profligatam iri.Expertus ille,quàm carò constiterit, Dæmonem in compotorem adoptasse,abrenunciat, & votum Dominæ nostræ VVeyerensi ex animo dedicat.Nec mora.Pellitur Diabolus,ipse liber euadit,cessat furor,corporis debilitati vires succedunt perfecta sanitate paulatim subsequente;Votum ipse perficit,& vltrò coram Notario & testibus acceptum à D.Virgine beneficium agnoscit,deprædicat, atque ad aliorum terrorem,vt à similibus diris,& imprecationibus abstineant, inter alia Diuæ VVeyerensis miranda connumerari petit. Notarius ergo cum testibus eius petitioni deferentes annuerunt,modo quo sequitur:

Consilium & medium liberationis.

Anno 1612.coram me Notario infrascripto, in Curia mea Canonicali, ad S. Stephanum in præsentia R D M. Nicolai Hofman,& Ioannis Dresselij Capellanorum D.Virginis,& Georgij Vogler comparuit Nicolaus Reublein Ciuis Bambergensis referens,&c. vt iam breuiter recensitum, &c. quæ omnia distinctè & clarè ex ore eius audita conscripsi, & annotaui quàm potui diligentissimè.

In fidem VVolffg. Ottlein Canon.S.Steph. Not. publicus manu propria.

CAPVT XXIV.

FOEMINA E DVORVM MENSIVM EPIDEMIA curatur.

DOrothea Reiterin, Ioannis Reiteri, nō procul à S. Iacobo habitantis, Vxor vnà cum marito coram Notario & Teſtibus vltrò prodidêre, & ſua ſponte, conſcientia impellente, ne tanto à Domina noſtra accepto beneficio ingrati eſsēt, ſignificauêre, quod ſequitur. Inciderat Dorothea in febrim epidemicam ita grauem, vt ſimilis vix apud alium viſa; ita diuturnam, vt nemo crederet hominem, & quidem imbecillem fœminam in tantis morbi adeò grauis moleſtijs ſuperſtitem eſſe poſſe. Deſæuijt malum integris duobus menſibus; remedia adhibētur; ſed fruſtra. Illud in primis omnes dolebant, quòd nimio dolore turbato capite inſtar agitati à malo Dæmone inſaniens omninò mentis inops perſtaret, nec ijs vti poſſet præſidijs, à quibus animæ ſaluti potiſſimùm conſulitur. Dolet maritus, ac miſeram vicem charæ coniugis calentibus lacrymis deplorat: Verùm lamentis ſalutem eius non promouet.

Morbi grauitas.

Suggerunt denique pij homines ægrotam viſitantes, vt Deo confidens Virgini Deiparæ VVeyerenſi voto aliquo aut peregrinatione eam commendet. Paret monitis; conſilium acceptat, peregrinationem promittit, & ecce illicò vxor fit mentis compos, & ſuaſu mariti addit & ſuum ac nouū votum. Ab illa ipſa hora ex tanta virium debilitatione ita reſpirat integra ægrotæ ſanitas, vt paulò pòſt è lecto ſurgens vnà cum marito voti debitum exſoluat. Relationi duorum coniugum à Notario & teſtibus etiā accedat robur ſuum; id ſic habet:

Conſilium de voto Diuæ nuncupando.

Anno 1612. comparuit coram me Notario, & teſtibus infraſcriptis, Ioannes Reiter, apud S. Iacobum habitās, & Vxor eius Dorothea Reiterin, vterq; ex conſcientia Deum in teſtem vocando, verè proteſtando, ac referendo, &c. quæ omnia ad notam accepta ita conſcripſi & ſubſcripſi. Acta ſunt hæc in Curia mea Canonicali apud S. Stephanum præſentibus R. R. D. D. Ioanne Dreſſelio Capellano B. MARIAE Virginis, & Friderico Hellingero Vicario prænominatæ Eccleſiæ S. Stephani, teſtibus ad præmiſſa rogatis.

VVolffgangus Ottlein Canonicus S. Stephani, Notarius publicus.

CAPVT XXV.

CRVRA VLCEROSIS FORAMINIBVS LONGISSIMO *tempore malè affecta sanantur.*

QVod modò beneficium in publicam notitiam producturi sumus, licèt Notarij testiumque asseuerationi non innitatur, quia tamen is, qui fatetur, id se singulari Dei munere Diuæ Virginis VVeyerensis interuentu accepisse, idque & manu sua, & præclaro ac votiuo munere non exigui pretij, quod & modò hodieque cernere licet, coram omnibus protestatur, non dubito, quin personæ dignitati tantundem, immò & plus roboris ac firmamenti, quàm si à publico tabellione descriptum foret, ac subsignatum, sit attribuendum. Rem paucis expedio.

Beneficij præsentis fides.

Est is Nobilis & admodum Reu.dus Dominus Ferdinandus à Freyberg Cathedralium Ecclesiarum Bambergensis & Augustanæ Canonicus, &c. Laborauerat iam multis mensibus pedum cruriumque acerbissimo dolore, qui tandem desijt in plurima vtriusque tibiæ exanthemata, cuniculosque subcutaneos; Exinde porrò enatæ pultrilaginosæ vomicæ, & purulenta foramina, à quibus non solùm grauiores indies cruciatus prodibant, sed & corruptæ saniei succrescens ardor paulatim totos pedes intertrigine assidua lacessitos, ineuitabili cum mortis periculo inflammaturiebat; quod ipsemet sæpenumerò apud alios vltrò vitæ discrimen fateri solebat. Adhibuerat iam non semel, sed sæpiùs curatiuam illam, quam medici præscribere solent, Diætam plurimis alioqui salutarem; sed frustra: Chirurgorum manibus vnguina, fomenta, emplastra diu multumque applicata fuerant frustra; quicquid ab humana industria sperari poterat, impensum, sed frustra.

Mali indies gliscentis grauitas.

Ergo vt à puero ad Gloriosæ Virginis deuotionem in aula Serenissimorum Bauariæ Ducum; immò non aula, sed pietatis schola educatus, & assuefactus erat, tum etiam ad Deiparę VVeyerensis patrocinium cõfugit, & votiuum donum eidem pro exoptata sanitate promisit. Et sanè non parum prospero euentu; Nam illicò à voto illo vitiliginosa foramina coalescente carne vltrò coibant, & quæ antea Medicæ manui non cesserant, à seipsis persanabãtur. Deauratum ergo non exigui pretij argenteum calicem ad sacram AEdem VVeyerensem transmisit, apposita scheda sua manu conscripta in hæc verba:

Educatio iuuentutis in pietate ac deuotione erga gloriosam Virginem. Voti efficacia.

Ego Ferdinandus à Freiberg Canonicus Cathedralium Ecclesiarum Bambergensis & Augustanæ fateor me magnum beneficium à Christo Domino per Gloriosam eius Matrem accepisse in sanatione incurabilium crurium meorum pro quo & gratias ijs ago perpetuas, & hunc Calicem sacræ VVeyerensi Virginis Mariæ Ecclesiæ offero, & me eiusdem patrocinio commendo.

Propositũ bonum morbo præuentum

Habebat porrò in animo, quod & mihi, & alijs persæpè retulit, aliud suæ erga Virginem Deiparam deuotionis monumentum in sacra eius VVeyerensi Domo statuere: Verùm morte præuentus, quod animo piè decreuerat, opere non compleuit. Ego & requiem ei, & vt Gloriosa Dei Mater voluntatem eius piam pro opere acceptet, comprecor, & exopto.

CAPVT XXVI.

OMNIVM TOTIVS CORPORIS MEMBRORUM Apoplexia lethaliter affectus in vita seruatur & sanatur.

NEc istud Notarij testiumve authoritate, sed ipsius testimonio, qui illud est assecutus, manuscripto suffulcitur: Is enim ad longum manu sua id descripsit, & VVeyerensi Domui transmisit. Reddimus eius verba è Germanico Idiomate in latinum candidè translata stylum.

Descriptio vltronea accepti à Gloriosa Virgine beneficij.

Anno Domini 1612. 8. Decembris, in festo Conceptionis Gloriosissimæ Cœlorum Reginæ, Virginis Mariæ intra octauam & nonam antemeridianam; Cùm Granarius Scheflicensis mihi adesset, & syluarum Bãbergensium Præfectus interueniret, sanus eram, & planè incolumis, ne minimam, vel capitis, vel vllius membri totius corporis difficultatem sentiens. Sed ecce Omnipotens Dei manus, quæ percutit & sanat, derepẽtè, & ex improuiso tam graue animi deliquium, & omnium corporis virium defectum, spasinumque immittit, vt eodem momento dissolutis omnibus membris nec stare, nec ambulare, nec sedere, nec vllibi manere possem, totius corporis Paralysi tabefactus. Porrigebatur destillaticia Cinomomi aqua; dabantur morselli capitis, & cerebri corroboratiui; Sed omnia in vanum. Sequitur horrendus vomitus (sit honor auribus) cum euacuatione noxiorum humorum tam copiosa, vt nemo crediderit possibile esse, tantum à corpore humano capi, nedum eijci posse. A vomitu

morbus maiorem in modum ingrauescit. Ad lectum igitur me componunt. Ego verò de nulla alia re magis, quàm de animæ meæ salute solicitus, subitò & sine mora Confessarium meum P. Martinum Franciscanum, & simul etiam D. Sigismundum Schnitzerum, Illustrissimi Principis Bambergensis Medicum aulicum, ac Vitum Krauss Pharmacopolam accersiri iubeo; Duo illi, tametsi Medicus & ipse malè haberet, cum festinatione aduolarunt; At Pharmacopæo absente, seruus eius loco prȩstò fuit. Tum subitò noua sequitur omnium membrorum, & virium, ac neruorum conuulsio, manus pedesque decidunt, frigescunt, ac planè emoriuntur, ita vt omnis motus, & sensus omninò deficeret. Sequitur terribilis vertigo, qualem in vita mea nunquam sensi, vt existimarem hypocaustum, fenestras, domum, imò & totum mundum circumgyrari, & euerti. Hinc aliud nihil cogitare poteram, quàm vitæ meæ finem adesse. Contrito itaque corde ad Christum Dominum confugi, & per sacram eius passionem vulnera, & sanguinem intimo affectu rogaui, ne mori me sineret, antequam peccata mea ritè perfecta confessione expiassem. Et quia me tanto beneficio ob peccata mea indignum iudicabam, semper Benedictæ Gloriosæ Virgini MARIAE supplicans, per omnia sacra nomina, & honorum titulos, qui in Cœlo & in terra illi debentur, ex intimo corde rogaui, vt pro sua in nos miseros peccatores benignitate, & clementia interposita, apud filium intercessione ostendat, se verè hominum & Angelorum Reginam ac misericordiæ matrem esse, & impetret, vt si non diutius, tantisper saltem viuere liceat, donec peccata mea integra exomologesi cum vera contritione deposuissem. Atque vt quinque liberos meos orphanos adhuc paruulos tutelæ suæ habeat commendatos. Quare simul etiam voto me obligaui, ad sacram eius VVeyerensem Ecclesiam, vbi nomen eius benedictum multis miraculis inclaresceret, argenteum deauratumque Calicem cum duabus candidæ cȩræ candelis transmittendi.

Grauior impetus morbi.

Vertigo terribilis.

Perfugium ad Christũ.

Virginis Patrocinium.

Voti series & summa.

Vix hæc intra me cogitaueram (O magna Dei gratia, & Matris eius misericordia!) ecce in eodem momento cessat, vt mihi videbatur, paralysis, & omnium neruorum torpor; redit aliqualis calor, & frigus rigorem suum cum maxima Medici & circumstantium admiratione ex parte duntaxat aliqua remittit. Adest Confessarius meus; Confiteor peccata mea, & sũptis sãctissimis Sacramẽtis, nihil aliud opto, quã ex hac vita emigrare.

Subitanea & accelerata exauditio supplicãtis.

Sed noua Dei & Gloriosæ Virginis beneficia. Iam Medicus artis suæ peritissimus, si vllus alius, de vita mea desperauerat, iam omne humanum auxilium frustraneum erat; Et ecce frigus illud lethale corpus omninò perfectè deserit; infirmitas membrorum admirabili, & supernaturali modo, quem ego explicare non valeo, euanescit; Adest appe-

Nouũ aliud [illegible] beneficium

titus edendi,& bibendi,sicut apud sanum,& robustum hominem;peto,& datur;bibo & comedo;& integer ac sanus è lecto surgo. Mirantur oẽs,obstupescit Medicus,& vltrò fatetur,se toto vitæ tempore, quã diu medicinæ praxin exercuisset, in vllo homine tàm periculosas, & lethales conuulsiones nunquam vidisse, aut expertum esse.

Hæc è manuscripto Beneficiarij. Sequuntur multa,Beneficium ipsum pariter,& morbi Circumstãtias varias exaggerantia:ac deinde quomodo 16.Decemb. votum soluendo,Calicem cũ cæreis obtulerit; quòd omnia, quæ de vitæ suæ periculo scripsit, veritatem ipsam discriminis vitæ suæ ne minima quidem parte attingant.

Et tandem ita concludit.

Miraculosæ huic restitutioni vitæ,& valetudinis meæ interfuerunt Christophorus Vollandt, Germarius Schesl zensis, Ioannes Keller Syluarum Bambergensium Præfectus, Casparus Ernestus. Aulæ Principis Subpræfectus Nicolaus Helbich Apothecarij seruus VVolffgangus Bruckner Bambergensis Ciuis, vnà cũ præfato Medico & quãplurimis alijs qui melius nouerint & periculum in quo fui, & Beneficium,quo illud depulsum est, amplificare. Hæc omnia in rei veritate ita se,& non aliter habere testor coram Deo hac manu mea propria. Actum Anno 1612. 8.Decemb in festo Concept. B. Mariæ Virginis.

In fidem

Michael Speth Quæstor generalis Prouinciæ & Diœcesis Bambergensis,&c

CAPVT XXVII.

OCVLVS LIGNI FRAGMINE PROPEMODVM excussus, à dolore fit liber, & videndi facultate donatur.

QVod subsequitur Deiparæ Virginis VVeyerensis Beneficium, tametsi non eodẽ tempore,quo pleraque superiora;sed annis aliquot postea collatum,quia tamen à Notario in publicas, & authenticas tabulas coram rogatis testibus ascitum,non rebar omittendum, quin ad claudendum præcedentium agmen huc transcriberem.

[margin: ...s mira- exocu- ...s for- e.]

Ioannes Demel,Bambergensis patria, æditius Zeyerensis, Anno Domini 1615. 1. Februarij ligna findebat ad vsus domesticos omninò, durissimeque congelata. Inter findendum, securi pertinacissimum nodum impetente, prægrande fragmen impetu præualido oculum eius insilit,& mediam pupillam sic vulnerat, sic lacerat,vt propemodum è cauitate omninò excussa copiosissimum sanguinem emittat; Quanto cum dolore in tenerrimo illo membro,quod nec leuissimæ rei tactum, imò neque minimum atomi puluisculi insultum aliàs ferre solet,procliue est æstimare.

Triduo

Triduo sæuit tormentum illud, & in horam crescit, lumine penitus extincto.

Reuocata tandem in memoriam Deiparæ VVeyerensis Beneficentia, concepit & ipse fiduciam opem eius haud sine fructu expostulandi: voto igitur cum quintuplici argenteo Donatiuo secum decreto, Gloriosæ Virginis tutelæ sauciatum oculum, & inreparabile lumen eius, vt ipse credebat, magnoperè commendat; aliud nihil postulans, quàm à vehementissimo cruciatu, quem hactenus perpessus erat, liberari. Eodem momento cum ipso voto videbatur sibi sentire, ac si mollissimo aliquo puluillo refrigeratorio oculus abstergeretur; qua cum abstersione dolor omnis euanuit, obscuritas tamen, & excæcatio oculi remansit. Peracta tãdem ad Diuæ Virginis Aedem peregrinatione, & quam promiserat oblatione, non solùm oculi sanitatem, plagæ licèt vestigio remanente, sed & perfectum luminis vsum recepit.

Voti præstanea vitt

Doloris cessatio.

Perfectus luminis vsus.

Apage hinc perfida Ministrorum Prædicantium Cauillatio; Casu hæc facta esse, vel alio naturali medio applicato. Non fortuitò, sed singulari Dei, & Gloriosæ Matris eius Beneficio sanum recepit oculum, cui nemo Chirurgorum vel minimã facultatis vidẽdi spem vnquam potuisset polliceri. Non caret res ista publica, vt diximus, authoritate. Et est hæc ex Notarij tabulis:

Hæretici cauilli reiectio.

Anno Domini 1616. die lunæ, quæ erat 8. Iulij, iuxta nouum Calendarium, Ego Ioannes Braun Ciuis, & Scriba Ciuitatis Cronacensis, Not. publ. in Domo Parochiali Cronacensi, & in præsentia R.R. & Eruditorum D.D. Michaelis VVutzleri Ruralis Decani & Parochi Cronacensis & Ioannis Mulleri Vicarij Apostolorum ibidem, vtpote Testium ad hæc requisitorum, audiui omnia supradicta ex ore Ioannis Demel recenseri, & ea manu propria in fidem subscripsi.

Idem ego Ioannes Braun Notarius manu propria.

CAPVT XXVIII.

STERILITAS DEPVLSA, PROLES IMpetrata, & mortis periculo erepta.

IN Bohemiæ fines hîc aliquantisper excurrendum, priusquam huic libro manum extremam imponamus, vt Virginis nostræ Tutelaris laudes etiam à longè propagatas in cumulum admirandorum eius Beneficiorum congeramus.

Nobilis & Magnificus Dominus Godefridus Hertel, à Leutersdorff, &c. quondam Diuo Rudolpho II. Imperatori à Conſilijs Imperij Aulicis, & quod rei caput, longo rerum vſu, experientia, fidelitateque inter alios ſummè charus, cum Domina coniuge ſua, Maria Magdalena, è Generoſa Piſnitziorum Bohemiæ Baronum, ac Dominorum proſapia oriunda, fœmina ſanè, quam laudem omnes, qui nouerunt, citra inuidiam ei tribuunt, non minùs pietate, quàm ſanguine Nobili, in Matrimonio ſterili quamplurimis annis vixerat, aut nullas ex ea ſuſcipiens proles, aut ſi quam ſuſcepiſſet, illicò prmatura morte extinctam amiſerat.

Sterilitas coniugum.

Audijt non ſine numine, ignoro tamen, quo referente, prægrandia Deiparæ VVeyerenſis in varios cœlitùs diffuſa liberaliſſimè beneficia. Ergo, vt Virginis Glorioſæ cultui impenſiſſimè addictus erat, forti fiducia vnà cum coniuge animatur, fore, vt & ipſe particellam aliquam Clementiæ Virginalis conſequatur. Voto ſe illigat, Deiparam Virginem famoſa illa, & admirandis hominum auxilijs celebri domo ſua inuiſendi, ibique ritè piatis noxis, ſacram Synaxim recipiendi. Quo id fine? Vt Glorioſæ Virginis interuentu maſculam prolem, qua hactenus caruerant, diuina benedictione nanciſcerentur.

Votum pro maſcula prole.

Nec itineris longinquitas, nec temporis incommoditas, nec aeris aſperitas, ob ſpem, quam conceperant, diutiùs remorari, aut diſtinere potuit deuotiſſimorum coniugum flagrantiſſimam pietatem; quin magno præclariſſimorum, atque etiam Religioſorum Virorum comitatu iter ſine mora aggrederentur, voti debitum dignè perſoluturi. Perſoluunt, vti condixerant, ſpectabili pietatis exemplo, & ſacris operantur, dum ſacro Corpori Dominico communicant. Addunt & aliud promiſſum: Si Glorioſę Virginis interceſſione filium impetrent, velle ſe munere aliquo ſpectabili, qualecunque id eſſet, gratitudinem ſuam in hoc ſacro eius Domicilio euidenter conteſtatam dare. Omnibus tandem ritè peractis, domum redeunt, pleni conſolationis Diuinæ, expertes omnis diffidentiæ. Vix effluunt nouem Menſes, & ecce maſcula prole, vt in optatis erat, magno ſuo, & agnatorum gaudio beantur.

Donarij votiui promiſſio.

Voti exoptatiſſimus effectus.

Ergo Deiparæ tanti beneficij Collatrici debitas grates ſine mora perſoluturi, magni pretij, trecentorum vtpote Talerorum, argenteam Saluatoris Crucifixi Imaginem, vnà cum Virginis compatientis, & Ioannis ſub Cruce ſtantibus ex puro itidem argento ſtatuis, Pragæ coemunt, ſacræ Domui VVeyerenſi, quinimò ipſius præſidi Glorioſiſſimæ Reginæ Virgini offerendam.

Magni precij dono votum perſoluunt.

Nequibat puerpera Maritum denuò profecturientem ad ſacram Aedem corpore ſequi: ſequitur mente, ſequitur affectu. Comitantur eum

denuò,

denuò, qui & prima vice, Admodum Reuerendus Eruditione, vitæque integritate; quid plura dicam? virtute conspicuus Dominus, D. Georgius Runnerus Ordinis Crucigerorum cum rubea stella, Egrani Hospitalis Commendatarius, & Cubitensis Decanus, Reuerendus item ac Religiosus P.F. Daniel Kunig, Ordinis Minorum de obseruantia, è Monasterio eiusdem oppidi, cuius opera à Confessionibus sacris vti consueuerat, quibuscum, vt alios sileam, VVeyeram contendit.

Sed ecce aliud mirandum, dum sunt in itinere, puerulus Epilepsia periculosissimè inuaditur, & vno super alium morbi accessu irruente, à matre non solùm, sed & ab omnibus, qui magno numero præsentes erant, fœminis de vita eius actum esse conclamatur. Mittitur ergo Eques veredus, qui velocissimo cursu herum insequatur, eique funesta hęc noua ferat, itaque quàm citissimè redeat; filium alioqui non ampliùs in viuis repertum iri. O peracutam paterni in tam charum pignus amoris tentationem. At ille corde & ore ad Virginem conuersus; Gloriosa, inquit, hominum & Angelorum Regina, quæ in sacra AEde tua VVeyerensi deprecanti mihi filium dedisti, obsecro te, eundem etiam conserua. Suadebant partim qui aderant, vt iter abrumperet, Domumque ad solatium mœstæ coniugis, alio tempore peregrinationem VVeyeranam perfecturus, reditum maturaret. Renuit ille, sed pergit constanter. Sacram domum ingreditur, & eodem momento, quo ipse donatiuum, quod diximus munus, è prægrandi theca depromit, & in Ara Virginis reponit, eodem inquam momento filiolus Domi ab Epilepsiæ morbo penitus liberatur, & ita perfectè sanatur, vt ne minimum vnquam in hodiernum diem eiusdem morbi vestigium in eo apparuerit.

Alterum beneficiũ.

Hæc mihi oretenus, quinimò & scriptis parati retulerunt, dum Egræ essem, supradicti, Dominus Commendatarius Egranus, qui & paruulum è sacro fonte suscepit, & P. Daniel Franciscanus, vterque tùm primæ, tùm alterius voti persolutioni præsentes. Confirmat & probat inscriptio votiui muneris, quod inter alia Donatiua Virgini consecrata suo loco latiùs describetur.

CAPVT XXIX.

PRO CVRIOSO SCIOLO, DE RECENSITIS Virginis Mariæ Beneficijs, Quæstio elucidata.

NOn dubitauerim inuentos iri Nasutulos quosdam, qui, cùm Censoria virga sua, quod castigent, haud inueniant; ne tamen nihil omninò excogitasse videri possint, Miraculosorum, quæ hoc libro percensuimus, beneficiorum fidem sint eleuaturi; Cur, inquient, tot Beneficia Virginis Mariæ in Bambergenses? & cur non tot in alios? in illamne personarum respectus cadit? cur eius Beneficentia non in omnes, & æqualiter sese diffundit? proximam Deo ad Filij dextram sedem, & Gloriæ thronum ei attribuitis: supra omnes Angelorũ Choros Deo sessione proximã collocatis: si Deo proxima est; Deum meritò, vt proximè imitetur, fas est. Quid porrò Deus? Aequalis illi cura de omnibus, beneficia sua æqualiter omnibus distribuit; Pluit super iustos & iniustos; Solem suum vtrisque, bonis & malis, non solùm Bambergensibus oriri facit. Quid Diua Tutelaris vestra? Siccine tàm inæquali lance dona sua partitur? Scio blateronem quendam Pseudo-Euangelicum hæc & his multò absurdiora in Gloriosam hominum & Angelorum Reginam dicteria deblaterasse.

Oggestio calumniatorum.

Sap. 6. Matth. 5.

Nolo occuparier, nec isthic locus est in defendenda Dei Matris æquali beneficentia, siue in iustos, & corde rectos, siue iniustos & peruersos per ipsius interuentum opem apud filium suum flagitantes, cùm ijs etiam qui extra Ecclesiam sunt, non soleat Gazophilacium suæ benignitatis claudere; sed quotiescunque supplicatum veniunt, reserare. Id quod & hoc libro exemplis clarum, sequenti verò pluribus in medium allatis multò illustrius euadet. Verùm quia Hæretici oculus nequã est, eò quòd Virgo Deipara VVeyerensis tàm bona, tàm clemens, tamque benefica sit in Bambergenses, vnam alteramuè fauoris Virginei causam aperire pro nostra breuitate sat erit.

Eiusdem reiectio.

Virginis beneficentia generalis.

Matth. 20.

Nota est inprimis Bambergẽsium præclara in Dei Matrẽ deuotio, quã haud dubiè à Diuis tutelaribus suis, qui Bãbergensem Ecclesiam è fundamẽtis excitatam, fundatã, dotatã, & locupletatã, singulari Dei matris Patrocinio commendatam voluerunt, vt videantur Ciuitatis istius incolæ amorem Gloriosæ Virginis materno cum lacte quodammodo imbibisse. Non hic referam, quanto cum ardore, quanto cum feruore, quàm sedula Sacramentorum frequentatione annuatim omnes & singulas septem Virginis Festiuitates in Ecclesia solenni ritu celebrari solitas transigere con-

I. Deuotio Ciuit. Bambergensis erga B. Virginem.

fueuerint. Nec memorabo Sodalitatis Ciuium apud Patres Societatis, nec fraternitatis Rosarij in Ecclesia Patrũ Dominicanorum pietatem singularem in Deum, & Zelum etiam cultus atque honoris Patronæ suæ Virginis Benedictæ.

Duo sunt, quæ singularem populi huius affectum in Cœlitum Reginã egregiè probant. Primò Tricennales laudes Assumptionis eius: Iam enim inde ab huius Ecclesiæ exordio (Origo certior à nemine scitur, aut memoriæ proditur) triginta diebus continuis à festo illius in Cœlum assumptę manè summo solenni Missæ Sacrificio in omnibus planè Ecclesijs virginali deuotioni consecrato interesse solebant, eamque pietatem triginta continuis diebus vsque ad Octauam Natiuitatis eiusdem continuare. Non expirauit hæc deuotio, etiam hæresi Ciuitatem depopulante, & omnium ordinum homines sibi subiugante: creuit, quinimò & hæresi tandem exterminata, maiori cum feruore refloruit, ita vt quotidie per illud tempus, vt olim quoque fieri solebat, in diuersis Ecclesijs diuersa Sacrificia solemni ritu, in honore Assumptionis eius ab hora quarta vsque ad septimam decantentur, & quocunque tempore quis sese aut à somno, aut à negotijs expediat, Sacerdotem vbilibet ad Diuina paratum inueniat. Manè hora quarta vsque ad quintam plerumque manuarij opifices, serui, ancillæ & reliqua iuuentus cantato solenniter sacro intersunt apud Patres Prædicatores Media quinta alij in Suburbio ad S. Theodori apud Carmelitas, & præcipuè ad S. Fidẽ apud P. Benedictinos. Hora quinta alij in Ecclesijs Parochialibus Beatissimæ Virginis, & S. Martini. Hora sexta in Ecclesia Cathedrali, & tribus Collegiatis S. Stephani, S. Iacobi, & S. Gangolphi; quinimò potissimùm, ac præcipuè in meditullio Ciuitatis, in templo Patrum Societatis, vt alia taceam loca. Nec paucos est reperire, quorum ardentior in Virginem Cultus, & pietas, qui tribus illis horis Matutinis, tribus diuersis in Ecclesijs, tribus etiam Sacrificijs soleant interesse. Nec rari numerantur, qui per tricennalia illa Virginis solennia non solùm singulis diebus Dominicis, sed & festiuis sacram Synaxin percipiant. Hæc Bambergensium & est, & fuit perpetua, etiam Hæresi dominante, sine interruptione annuatim continuata Deuotio. De qua, vt meum liberè proferam Iudicium, hoc assero: Ecclesiam, & Ciuitatem Bambergensem in medijs hæreseon furijs seruatam esse tam religiosa in Dei Matrem pietate, cultu atque deuotione.

II. Causa. i. Feruoris Virginalis in Deiparam. Tricesimus laudum Deiparæ Virg. apud Bambergenses.

Tricesimaliũ Deip. Virginis laudum horæ diuersæ.

Alterum est, quòd per totum Aduentum magno numero Matutinum Corporis ac Sanguinis Christi Sacrificium in honore Incarnationis Dominicæ, & Gloriosæ Virginis, Dominæ nostræ, celebrari solitum (vulgò Rorate appellãt) magno deuotionis feruore inuisant. Hic Bãbergensiũ

2. Rorate siue officiũ de Incarnatione Domini per Aduentũ cantari solitum.

affectus,

affectus, hoc studium, hæc pietas erga Dei Matrem.

Cur ægrè fers Dei Matris clementiam in Bambergenses vicissim? Cur eius toties iterata beneficia carpis? Cur quòd diligat se diligētes, limis oculis intueris? grata est cultoribus suis; confouet eos; patrocinatur illis, & veluti benigna Mater filios paruulos, ita ipsa clientes suos in omni necessitate ad se confugientes obuijs vlnis amplectitur.

Causa secūda Fauoris Deip. VVeyerensis in Bambergenses.

Aliam iterum accipe causam iterationis tot Virg. Deiparæ VVeyerensis Beneficiorum in Bambergenses. Sæpiùs alijs, ac frequentiùs, maiorique numero sacram illius Aedem inuisunt; sæpiùs in necessitatibus, periculis, aut calamitatibus positi vota nuncupant Gloriosæ Virgini; sæpiùs ergo conuenit, & nec immeritò, vt gloriosa Virgo Bābergensibus suis, veluti peculiaribus Clientulis, gratificetur, succurrat, opituletur. Tametsi non negauerim, innumera etiam alijs passim à Virgine haud inania & vacua miraculis beneficia exhibita esse, quæ tamen illi aut ex simplicitate reticuerint, aut ij, quos penes id erat negotij, nec diligēter inquisiuerint, nec inquisita annotarint.

Plurima Virg. Deip. Beneficia miraculosa silentio inuoluuntur.

En tibi causas, argutule Cauillator, Parthenij fauoris in Bambergenses.

CAPVT XXX.

CVR TOT NVNC TEMPORIS MIRACVLA DIVInitùs ad inuocationem Virginis Mariæ.

Quæstio de miraculis ad Sanctorū inuocationē patratis.

ERit alius, ne dicam è Virginis aduersarijs, sed forsitan etiam deuotis Clientibus, qui interroget: Cur miracula hæc non ipse in suo nomine patrat Devs? cur magis, sæpiusque hodie in Diuorum, & sæpissimè Diuæ Matris suæ intercessione edit? Nónne verbum eius: *Gloriam meam alteri non dabo*? miracula ab ipso sunt; Sancti non faciunt; sed ad illorum interuentum Deus ea designat: Cur Sancti honorem inde reportent? nonne & in Cælo ipsorum verbum est: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam?*

Esaiæ 42.

Psal. 113.

Quæstionis elucidatio.

Fateor, ita est, Dei Filius auctor est, & patrator miraculorum, in gratiam tamen Matris, aliorumque Diuorum. Verùm respondeo cum S. Augustino: *Vt Christus verus Deus credatur, nunc non est opus prodigijs: Quinimò si quis prodigia requirit, ipse prodigium est, qui mundo credente non credit.* Excipio tamen Gentiles, & infideles Barbaros in Indijs Orientalibus, & Occidentalibus, & apud Sinas, qui ad fidem vel suscipiendam, vel con-

Lib 12. de Ciu. Dei c. 8.

seruandam Miraculis in hodiernum diem alliciuntur,& lacte velut enutriti,plurimum roborantur.

Alia in Sanctis est ratio modernis temporibus:Cùm enim innumerabiles sint,qui Christum Baptismo professi, honori tamen Diuorum, atque inprimis Dei Matris hostiliter sese opponant, & eius cultum,quà valent, quà per facultates licet, euertant, meritò extra ordinem Christus Rex,& Sanctus sanctorum tot miraculis eorum honorem asserit, & approbat,& quos Hæretici deprimunt, extollit, quos obtenebrant, illustrat. Quotusquisque est, quem lateat, omnes, quotquot temporibus hisce ex orco prodiere, nouellarum opinionum sectas consensu vnanimi, & velut de compacto, in vnam Virginem Deiparam conspirare, in eius honorem incurrere, cultum & deuotionem euertere, & decus omne imminutum ire? Ergo Dei filius, honoris Materni tàm potens, quàm Zelo ardens inflammatissimo vindex, insidiatores calcanei Virginalis reprimit, Matris cultum tuetur, & auget, tot siue beneficis miraculis, siue miraculosis beneficijs in eius nomine & intercessione designatis. Paribus armis aliorum Sanctorum etiamnum hodie Patrocinium & inuocationem propugnat; in quos vt alibi mentis nostræ peculiariter deuotam affectionem depromamus, det is, qui est Deus & Corona omnium Sanctorum. Nunc aliud pratum meditamur, in quo liberrimè denuò in laudibus Augustissimæ Sanctorum Reginæ expatiemur.

Matris al'orumq; sāctorū honorem & cultum propugnat Deus hisce miraculis.

LIBER TERTIVS.

MIRACVLOSORVM BENEFICIORVM DEIPARAE Virginis VVeyerensis.

CAPVT PRIMVM.

MONITIO PRAEAMBVLA LECTORI.

ENVMERAVIMVS libro præcedenti memoranda & admiranda Virginis Matris beneficia, quæ Filio eius à paucissimis annis ad propagandum Matris honorem apud eius memoriam VVeyerensem patrare visum. Et ea potissimùm delibauimus, quæ publica Tabellionum authoritate asserta, nec ab ijs, qui Gyganteo periculo in cœlum scandunt, ibiq́ e Diuos, atque omnium Diuorum Reginam pertinaciter oppugnare, imò & expugnare, si queant, ausu temerario contendunt, vlla contradictionis oppositione conuelli poterũt, aut refutari. Nunc ad recentiora hoc tertio libro descendemus; quæ tametsi non omnia publicorum tabellionum obsignatione roborata, eandem tamen veritatis vim obtinent apud rectè cordatos, atque priora. Vel enim ipsimet, qui hisce affecti, modum & circumstantias beneficentiæ Virginalis descripsere, atque vt in Actuaria Sanctæ Domus ad perpetuam rei memoriam referrentur, expetiere; aut coram Parocho loci, testibusque fide dignis, quæ sibi Diuinitus contigerant, enarrauere, & vt similiter posterorũ memoriæ ad maiorem Dominæ nostræ gloriam consignarentur, spontanea promptitudine recensuere; quæ postmodum à Leogastensis municipij Iudicijque ordinario & iurato Scriba, quanquam non omnia, immò ex innumeris paucissima, breuiter excepta, & annotata nobis innotuere. Non vana afferimus; aut supra verum, quæ attulimus,

[Margin: ..dis cõten..ũ in hoc libro Virginal'ũ beneficiorum.]

efferi-

eff rimus Regesta legimus, & ex ijs selegimus, quæ dignissima videbantur promulgari.

Vos qui Cornicum oculos configitis, an ijs fidem non habetis? Ecce in plurimorum notitia, conspectu, præsentia, pleraque sunt gesta; Testibus firmari & Magistratuum etiam, quod rei Caput, vbi opus erit, authoritate publica legitimè canonizari, & contra Neotericā Diuos spernentem doctrinam muro veluti ac vallo poterunt communiri.

Notitia eorundē Beneficiorū miraculosorū Deip. VVeyerensis.

An & de mea fide dubitatis Interrogatum itote, quos tangunt ista; exploratum pergite, si nō creditis, imò mittite, vt credatis. plura reperietis, quàm à me perscripta. Et siquidem *Miracula*, vt verè Augustinus, *sunt Introitus ad fidem*, licèt ingenio sitis; robore, aut scopulis duriori, immò & subere sicciori, mitigabimini tamen, & vel magnitudine, vel nouitate rerum præstricti cedetis. Vbique inuenietis facta miranda, supra captum aut fidem hominum, supra ipsam naturam. Vel inter tot miranda lubeat illud potissimùm mirari: Esse, qui neget admiranda, aut dici, aut haberi debere hæc beneficia, & facta inopinata, & quæ non nisi Diuinæ Potentiæ mens sana transcribat.

Lib. 9. cōf.

At me vana loculeiorum eiusmodi siue deliramenta, siue nugamenta à proposito minimè deijciunt aut absterrent: quin potius obfirmant & indurant. Ergo da mihi, O Diua, quam præsentem animo contemplor, quod piè sanctèque institui, ritè & feliciter exequi, nomini & cultui tuo propagando, pietati & Sanctimoniæ augendæ; quos duos profiteor huic meo labori esse fines.

Scopus noster.

CAPVT II.

PROFVNDISSIMO CARCERI MANCIpatus miro stratagemate educitur.

NObilis cuiusdam, tametsi ab auita nostra Religione alieni, boni tamen & sinceri, Præfectus (crediderim, parum conscio, aut saltē conniuente Domino) Georgium VVeysium Cauponem VVelckendorffensem è Domo & possessionibus, iusto contractu acquisitis, vi exturbare nitebatur. Recusante cessionem legitimo possessore, vim intentatam re ipsa exercuit: Nam anno 1613. sub initium Mensis Maij, die quadam Dominica summo mane armata manu in Carceres captiuum vinctumque, & verberibus etiam deditione facta atrocissimè mulctatum, Buchauiam deduxit, ibique in subterraneam turrim, altitudinis circiter trium iustę staturæ virorum (vtor eius mensura, & verbis, quibus ille, qui

Vulgaris ac freqēs Pręfectorū consuetudo subditos Dominorū suorū tractandi.

historiam vernacula lingua contexuit, vir non exiguæ authoritatis) per scalas detrudi iussit. Iacebat ibi miser in maximis miserijs, nec paruo tempore, alimentis etiam (ô Christianæ Charitatis algorem!) necessarijs destitutus. Non erat, qui eius causæ patrocinaretur; nec si quis fortè sese obtulisset, ipsius alloquio admittendus; nec apparebat, per quem apud Nobilem Dominum suum, cui vt vasallus fidelitatem omnem præstare paratus erat, de illatis iniurijs conquereretur.

Miseriæ incarcerati.

Ergo ab omni humana spe desertus, ad cælites omniũ tutissimo præsidio sibi confugiendum, & rectè quidẽ, existimauit. Erat is tum quidẽ Lutheranæ sectæ, in qua natus & educatus, ex corde & seriò addictus: Audiuerat tamen persæpè à transeuntibus & in suæ Domus hospitio diuertentibus, qui Diuam VVeyerensem votiuis peregrinationibus frequentauerant, quàm magna & admirãda Deus Opt. Max. intercessione B. Virg. Mariæ in varijs calamitatibus & afflictionibus Beneficia, & Auxilia, etiamnũ hodieq́ue supplicibus ostẽderet, & exhiberet. Tametsi vero tũ tẽporis ne vix quidẽ sibi ea persuaderi permiserit, vt crederet, ac fidẽ haberet; nihilominus tñ hæc eius mẽtẽ cogitatio nõ rarò subibat: Oportet aliquid huic rei subesse: Nõ enim tot homines, tã honesti, tã veraces, tãtę dignitatis, talia, nisi veritati consentanea, in vulgus spargerent.

Credulitas beneficiorũ miraculosorũ Deip. Virginis.

Constitutus itaq; in grauibus illis, quas diximus, miserijs, sentit, haud dubiè cœlitus, easdẽ cogitationes redire, firmissima pariter iniecta fiducia, fore, vt Diuæ Virginis VVeyerensis ope è terribili illo carcere liberaretur. Votũ ergo cõcipit, & animo statuit, si è captiuitate illa liber euadat, velle se nõ solũ primo quoq; die, sed & quã diu viueret, cum vxore & liberis quotannis sacrã eius Aedẽ VVeyerensẽ inuisere, eiq; pro collato Beneficio gratias agere. Mediũ noctis cõticiniũ tũc agebatur, cũ ista secũ decerneret. Et ecce, eodẽ momẽto robustũ baculũ, vectẽ potiùs dixeris, iuxta se iacere sẽtit, cũ tamen interdiu nihil tale vnquã in angustissima spelunca aut vidisset, aut manibus palpasset, nec facilè res eiusmodi in carceribus positis permitti cõsueuerint. Consiliũ etiã illico prestò est. Inspiratur, vt exuto thorace, alteri manicarum vectẽ alligatum supra caput proijciat versus strictissimũ foramen, per ꝙ captiui demittebantur. Paret ille, & ecce primo iactu vectis transuersim hæret in Valuulo. Ergo thorace apprehenso, manibus innitens ascendit, & nõ solũ sine vlla difficultate è profũdissimo carcere liber euadit; sed & per angustissimũ, nec lõgitudine palmarẽ meatũ, qui paruulo etiã Puerulo trãsitu impossibilis foret, ipsi tñ instar patẽtis portæ apertũ eductus, in subiectã turri fossam, triũ & eò amplius virorũ altitudinis desilit, haud maiori impetu, aut corporis allisu, aut membrorum succussione, quã si è scamno dũtaxat descenderet, aut modestiori pede fossulam quampiam pratensẽ transiret. Sic Virginis ope

Incarcerat' diuino instinctu vouet Deiparæ VVeyerensi.

Captiui liberatio mirabilis.

mira-

mirabiliter euasit, & sine mora voto, vti condixerat, satisfecit.

Accessit longè maius, & maioris etiam momenti Deip. Virginis Beneficiũ. Quem enim ex obscuro ac tenebroso, quoad corpus, carcere liberauerat, eius animam à multò teteriori errorum & hæreticarum opinionũ Cimmerijs tenebris, discussa mẽtis caligine, Lutheranę inquam hæresi eripuit & exemit: Nam exiguo interiecto spacio, non solùm omniũ primò ipse, sed & vxor, cũ liberis, Catholicã Religionem apud Diuã VVeyerẽsem professi sunt; verùm etiam diuenditis controuersis illis possessionib⁹, alias tutiori loco, vbi Catholica Religio exercetur, bono suo coemerunt. Quæ omnià & singula idem VVeyslius coram vtroq; tàm Ecclesiastico, quàm Politico Magistratu oretenus aperuit, & tam sua quàm audientium summa cum satisfactione, & gaudio significauit.

Conuersio liberati è Carcere ad Catholicam Religionẽ.

Tametsi verò non defuerint Ollares quidam amici, qui in Catholicæ Religionis odiũ liberationẽ eius ex omni prodigiorũ numero expũgere, & vti humanitus possibilẽ tentauerint extenuare: Id tamẽ liquidò cõstat, Præfectũ illum non solùm plurimis, quos ad spectandos carceres, quibus cũ vecte thorax adhuc inhærebat, velut ad insolitum spectaculum euocauerit, coràm dixisse, fieri nõ posse, quin Diabolus eũ exinde absportarit; & quod plus est, similia etiam ad alios scripsisse. Sic aduersarij suo se iugulant gladio; & quod alij fide digni viri, qui sine affectu de rei veritate iudicant, inspecta subterranei carceris altitudine, pro non exiguo portento, aut miraculo habent; ipsi etiam inuiti ac nolentes approbant & confirmant, dum quod diuinitus est factum, Patri suo diabolo adscribunt.

Adulatoria quorundã extenuatio huius beneficij miraculosi.

Hæc nos pro annata nobis veritate. qui plura de totius rei cursu intelligere volent, VVeyslium adhuc superstitem adeant, & desiderio suo satisfactum iri minimè diffidant.

Quid hic obmuscitas, ô Pseudo Euangelice Sycophanta? Diabolus, inquit, Idolomaniã Marianam hac hominis istius è carceribus translatione cõfirmauit; nã haud est infrequens ei, pari modo Magas atq; veneficas huc illuc per aera, è domo in domũ, à loco in locum transportare O Fucũ! serpẽs faueat honori mulieris illius, quę semine suo caput ei obtriuit? facilius mihi persuaseris pisces per aera volitare, & arborũ ramis insidere. Heus Mariomastyx; Idololatriæ crimen falsò nobis impingis: en quã præclarè calumniã tuam retundat Ionas Aurelianensis, haud Neotericus, & hesternus Ecclesiæ Doctor: *Virginem, quæ peperit Christum, non adoramus,* inquit, *sed sanctã Dei Genitricẽ congruo honore veneramur, eiusq; intercessionẽ apud Diuinã Maiestatẽ humiliter flagitamus. Nec immeritò; quippè, quoniã per eã authorẽ vitæ suscipere meruimus, & pro eo, quòd ea sãcta & intemerata Virgo Maria, quæ vtiq; Deũ & hominẽ nobis edidit, Dominũ videlicet Iesũ, à cũctis fidelib. pio colitur amore, & debito habetur in honore, interpellatũ eius apud Deũ flagitam., vt à quibus premimur malis, eruamur.*

Calumnia hæreticorũ abstergitur.

Gen. 3.

Lib. 2. de cultu sacrarum imaginum.

Quid aliud captiuus noſter? quid aliud omnes, qui ſequentur, Virginis beneficiarij? [illegible]uum ergo fel in Mariam; vomitum tuum & calumniam relambe, & abſcede cum propudio, quod retuliſti. Noſtra hæc eſt profeſſio cum S. Epiphanio: Sit in honore Maria; Dominus ac Deus noſter adoretur.

Hæreſi 79

CAPVT III.

TIBIA PERICVLOSE INFLAMMATA ſanatur.

In Threnis

Oratione in Hypapante Domini.

AVguſtiſſimam hominum & Angelorum Reginam, S. Ephræm Syro, *Conciliatricem, Aduocatam & ſpem Chriſtianorum apud Deum*; S. Martyri Methodio, *Procuratricem auxiliorum diuinorum*, placuit appellare. O quàm verè: Nam luculento ſanè, & euidenti experimento id probauit Andreas Neydeckerus Collegiatæ Eccleſiæ S. Martini Vorchemiæ Decanus, vitæ integritate, & eruditione conſpicuus Sacerdos, quod eò liberius adſtruo, palpum nemini obtruſurus, quia iam in viuis eſſe deſijt. Is dextri Cruris inflammatione grauiter decumbebat, ita vt multo tempore vehementiſſimis cruciatibus interdiu noctuque torqueretur. Erant, qui dicerent, ſacri, quem vocant ignis ſpeciem eſſe: at aberratum à ſcopo, probauit euentus: Nam quò plura, quibus in eiuſmodi morbo vſus eſt, remedia adhibebantur, eò magis indies gliſcebat periculum, dolor exaugeſcebat. Ergo cùm peritiſſimus etiam, quem non ſine grandi ſumptu aliundè, Norimberga inquam aduocauerat, Chirurgus nec morbum ſe noſſe, nec remedium etiam conueniens ſibi perſpectum eſſe, non ſemel affirmaſſet, humanis remedijs à tergo relictis, diuina potiùs inquiſiuit, & voto Deiparæ Virgini VVeyerenſi dicato, ſuppliciter expetiuit. Nec verò inutiliter, aut incaſſum: nam eodem die, præſente adhuc Chirurgo illo, & præ admiratione ſeipſum vix capiente, abſceſſit dolor, inflammatio euanuit, tumor omnis reſedit. Votum igitur gratanti animo ipſo ſacro Penthecoſtes Feſto, Anno 1612. in Eccleſia Deiparæ VVeyerenſis perſoluens, beneficij memoriam manu ſua deſcriptam reliquit.

Inflãmatio tibiæ periculoſa.

Votũ Virgini nuncupatũ ſine mora exauditur.

En tibi, Virginalis honoris obtrectator Ariſtarche, en quàm ſit efficax apud Deum Deiparæ Matris interuentus. quid? an tu nobis, O rabula, de ſemine ſerpentis, eam inuocare vetabis, cui ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus tanto ardore pro eius patrocinio ſupplicauit? Eius ecce verba in os tibi ingeſta: *Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto femineo ſexu, ſentiant omnes tuum iuuamen quicunq; celebrant tuum nomen; ſit tibi compaſſio ſuper afflictis;*

Efficacia interceſſionis Virginalis apud Deum.

Serm 35. de Sanctis & 2. de aſſumpt.

cta sit pius affectus super cælorum peregrinis. Et cùm te lætantem semper aspicis, fletus nostros, quæsumus, ipsa ad Deum admittas, eumq; vt proprium Filium pro nobis interpella. Nos enim adhuc in terra hac affligimur, persequimur, iniurijs lacessimur, opprobrijs afficimur, esurimus, sitimus, damnū patimur, in carcere retinemur: tu verò in cœlestibus regnis prælata es cūctis Virginum Choris, tu agnum quocunq; perrexerit, sequeris; tu Virgineos Choros & ab incentiua carnis illecebris alienes per albētia lilia rosasq; vernantes ad fontes perennis vitæ potandos inuitas, tu in illa beatorū felicissima regia primi ordinis dignitatem adepta plantis rosidis oberrās inter Paradysi amœnitatē, gramineosq; crocos tenero poplite pergis, felicíq; palma violas immarcessibiles carpis; tu concinis sine fine Choris coniuncta summis, Angelis Archāgelisq; sociata indefessa voce Sāctus clamare non cessas; tu in cubiculo regis Beatitudinū gemmis & Margaritis ornata assistis, tibi Thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni Regis, teq; ipse Rex Regū, & Matrē verā, & decorā sponsam præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat. Nec mirum, si dignetur tibi aggaudere Deus regnans quē tu paruulū ex te hominē natū toties osculata es in terris: has ergo tuas felicitates possidēs, cōuertere ad nostrarū miseriarū salutem. Inter hæc igitur, fratres cū toto mētis affectu Beatissimæ Virginis nos intercessionibus cōmittamus, omnes eius patrocinia omni nisu imploremus, vt dū nos supplici eā obsequio frequētamus in terris, ipsa nos sedula prece cōmendare dignetur in cælis. neq; enim dubiū quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium. Hęc S. August. hæreticorū alioqui Malleus, Mariani honoris eximius cultor & propugnator & Mariomastygū Zelosissimus exterminator.

CAPVT IV.

TABE DIVTVRNA TOTIVS CORPORIS CONfectus restituitur.

NIhil vtilius post Deum, verbis vtor S. Anselmi, Iurati Cultoris Diuæ hominū & Angelorū Imperatricis, *nihil salubrius memoria Matris Dei, nihil vtilius meditatione pij amoris, quo feruet in miseros mortales.* Quòd si tā vtilis existit in subueniendo memoria nominis Matris Dei, vt nemini desit in necessitatibus eam inuocanti, non mirum si magnæ salutis fructū afferat frequens petitio eius intercessionis. Præter enumerata exēplo alio id probatū faxo. Ioānes VVeydenhamer, Ciuis & Hortulanus Bambergensis, circa idē ferè tēpus primùm lēta cōtinuaq; febri diu multumq; confectus, accedente tabe, mēbra omnia totius corporis absumēte, ita prorsus emarcuerat, vt vix ossibus hæreret; cui malo accedebat, quòd integro mēse omnis cibi, potusq; expers, tādem ad extrema penitùs deuenerit, vt spretis corporeis medicamentis, quæ ne hilū quidē, tametsi quotidie vsurpata, profecerant, ea in manus sumpserit, quæ animam ad perēnem alterius vitæ sanitatem dirigunt, ac perducunt. Intereà nullo nō die, immò & hora, Christū Saluatorem Matris amore obsecrans, vt immissam cælitus Crucē mitigari iuberet. His porrò, quæ melioris vitæ promotio-

Lib de excellētia Virginis gloriosæ cap. 6.

Tabes ex hectica febri.

nem

nem concernũt, ritè, atque vt Christianum hominẽ decet, opere cõpletis, Diua Virgo VVeyerensis ei in mentẽ venit, cuius Visitationi quãprimũ se vnà cũ cærei oblatione addixit, illicò meliùs habere cępit, & redeunte cibi appetentia, tabes vnà cum diuturna febri eum reliquit; ita vt assecuta statim valetudine firma, ipso SS. Trinitatis Festo sacram Gloriosæ Virginis Aedem inuiseret, & adeptũ Beneficium grata animi significatione recolẽs, Parocho, testibus, & publico itidem Tabellioni significatũ, inter alia monumenta eiusdẽ Deiparę conscribi rogaret. & rectè: nam S. Ioanne Chrysostomo attestante; *Optima Beneficiorum custos est ipsa memoria Beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum. Danti autem rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quàm si gratum habuerit, quod gratis accepit.*

Voti accelerata solutio.

Hom 25 in Matthæum

CAPVT. V.

ABORTVM PASSA E VITAE PERICVLO LIBERATVR.

COmparuit eodem die Catharina VValterin, & ipsa Bambergensis Ciuis, habitans in VVunderburgo, coram ijsdem, quos paulò antè memorauimus, & reddito Deip. Virgini VVeyerensi, cuius seipsã damnauerat, voto, insigne Beneficium cõmemorauit sibi eius interuentu pronuper collatum. Gestabat vterum, sed vno adhuc, alterove mense ante præscriptum à natura partui tẽpus, tum febri acuta, tum etiam Epilepsia fermè continua abortioni fœtus extremo vitæ suæ periculo exponitur. Et iam desperatum erat ab omnibus de fœtu, quẽ tamẽ Deiparæ VVeyerensis tutelæ iteratis precibus instanter cõmendatum, tantisper enixa est viuũ, vt regenerationis lauacro inauguraretur; deindeq; subitò lucis huius vsuram creatori resignaret. Aiebãt obstetrices, de vita Matris itidẽ actum esse, cũ tot diebus secundinæ sisti nõ possent, ipso eius corde omni natiuo sanguinis vitalis succo iam destituto; at illa rursum ad Deum ac Dominã nostram conuersa, iam ab omnibus Ecclesiæ Sacramentis cõmunita, & sacro insuper oleo vnctionis extremæ parata, Virgini Deip. VVeyerensi ardenti prece coniunctũ decreuit votum. Eadẽ hora, secùs ac obstetrices humanitus fieri posse existimabant, tollitur morbi fundamentũ, & radix, firmatur sanguinis fluor; ipsa intra paucos dies perfectè sanescit, & votum explendo, Beneficium acceptum cum gratiarum actione reuelat.

Fœtus abortiuus Deip. interuentu illæsus nascitur.

Periculum Matris abortientis.

Quis hîc tuam, sanctissime Pater Bernarde, admonitionem non perlubenti animo acceptet, cordi ducat, viua praxi quotidiè non exerceat? *In periculis,* inquit, *in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca; nõ recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, ne deseras conuersationis exemplum.* O consilium, quo consultius vix aliud vllum!

Ser. 2. super Missus est.

CA-

CAPVT VI.

ALTERO CRVRE CLAVDA CORRIGITVR AB INFORMI claudicatione.

MAriam *Tutissimum humanæ calamitatis asylum*, iam olim non ita multò post Apostolorum tempora vocauit S. Martyr Irenæus. Et nomen quidem ille dedit; At nominis omen honesta fœmina Christina Crasserin, non procul ab inferiori tegularia officina in suburbio Bambergensi habitans, luculentissimo beneficio affecta, euentu felicissimo probauit. Ea tumore primùm & inflatione dextræ tibiæ sic occupatur, vt calceari vltrà non posset. Quin etiã ab eo mox tumore singula in singulis partibus vlcera, quæ verè Telephia licuisset appellare, fœda, immedicabilia, oris purulentis ac sideratis, carne exsensa ac mortua; puris insuper mixto sanguine emanantis fætor tantus erat, vt nemo eam ferre posset. Et quod mali vel pessimum complementum, Chirurgus non inueniebatur, qui viso tam atroci vlcere, eius medelam in se recipere siue vellet, siue auderet. Immò nec plures simul. accessit tandem contractio tibiæ ita malè affectæ, vt nec mouere, & minùs flectere eam posset. Atque ita palmo ferè breuior effecta, omnem gressus vsum irreparabili inposterum damno adimebat. Quid hic afflicta? humanæ spei non erat locus: humana namque præsidia iam pridem eam omnia fefellerant.

Lib 8. aduersus hereses cap. 8.

Tibia venenatis vlceribus inflammata.

Confractio & abbreuiatio tibiæ.

Recursus ad auxilium virginale.

Ergo ad omnis medelæ fontem, ad Gloriosam, inquam, Dei Matrem, Virginem Mariam ex animo recurrit, insanabilem plagam eius auxilio intimo commendans mentis affectu. Addit votum ad sacram eius Ecclesiam VVeyerensem precibus & votiuo munere inuisendam. Et ecce derepentè vlcera exiccari, putridæ carnes decidere, diductiones seiunctarum partium carne subcrescente impleri, totumque crus intra paucos dies perfectissima sanitate sine omni neruorum ac tẽdinum morositate redintegrari, vt absque impedimento ambularet, & longissima etiam itinera sine vllius claudicationis difficultate conficeret: Grata igitur tantæ Benefactrici eodem anno 1613. in Festo S. Iacobi apud sacram VVeyerẽsem Ecclesiam appulit, & stetit promissis. Ac ne tanti beneficij memoria deperiret, quid secum contigerit, ijs, qui præerant loco, fideliter enarrauit, ac Deo, cui soli debetur, gloriam per Virginem, & eius Filium fideli obsequio persoluit.

* *
*

CAPVT VII.

VERBERIBVS ATROCISSIME MVLctatus,& hora non vna exanimis in vitam reducitur.

QVod modò recenſitum imus,verè & ſine fuco inter veriſſima Virginis miracula cenſeri poteſt. Nam & ego fateor credulitatis meæ imbecillitatem,niſi perſonis examinatis, & circumſtantijs omnibus perfectiſſimè diſquiſitis, an percuſſus verè vita priuatus extitiſſet, ſubdubitaturus eram. Attamen ſeria rei geſtæ exploratio,& omnium,quę præceſſerant,& ſubſecuta fuerant, diſcuſſio omnem ambiguæ mentis ſcrupulum exemerunt.

Caſparus Singer (Bambergenſis & ipſe ciuis,domicilium habens in ſuburbio canini collis,vulgò Hundts bühell appellatur) præ feroci iracundia ſuccenſus,vt & aliàs,plus æquo complexionis impetu choleræ indulgere ſolebat filium ſuum horrendis, & modum omnem paternæ caſtigationis excedentibus plagis atque verberibus excipit. Nec hac enormi crudelitate contentus,inſuper etiam impetuoſo deiectu terræ allidit, & in capite ad tempora,in lateribus,in inguine,vix mentis compos, imò planè furioſus peſſundat. Ira ſanè furor breuis eſt.abit relicto puero.

Caſtigationis paternæ exceſſus.

Vbi verò excandeſcentiæ feruor poſt horas aliquot detumuerat, trãquillata iam & pacata tempeſtate filium vocat iteratò ac tertiò;at is non audit,nec poterat. Accurrit ergo vbi eum reliquerat,trahit,vellicat, cõcutit; nullum vitæ veſtigium apparet. Vas frigidæ è puteo vicino haurit, & capiti ſuperinfundit. Fruſtra:nullum vitæ ſignum edit. Vocat Domeſticos; roſaceo aceto & ſimilibus refocillamentis tumultuariò allatis vitæ experimentum aliquod quæritur;at non inuenitur. Plumula ori admouetur,at ea nullo halitu commouetur. Liquida & feruenti cæra tẽpora genæ,labia manus & pedes ſtillantur; nullus doloris ſenſus, nulla retractio membrorum.

Iræ impet9 effrænis. Facti pœnitudo. Nullum vitæ ſignũ in puero peſſundato

Tum denique præter modum crudelis & ſæuus Pater ſera ductus pœnitentia ſeipſum pugnis verberat,capitis crines euellicat, ac diris furore ſtimulante ſe deuouet. Suadent Domeſtici,ſuadent vicini, vt fugam maturet. Dum porrò anceps hæret,quid agat? an fugiat? an Magiſtratui ſe dedens commeritas parricidij pœnas luat? memoriæ occurrit portus & Anchora omnium afflictorum,Glorioſa Virgo Dei Mater. Ergo in ge-

Fugam ad ornat Pater percuſſor.

nua,

nia immò in terram procidens eius apud filium auxiliarem obnixissimè flagitat intercessionem, ac simul etiam voto, quamdiu vita superstes ac sospes, quotannis sacram eius Ecclesiam VVeyerensem cum cæreo & argenteo dono summa cum pietate ac deuotione inuisendi.

Dum hæc orat, dum vouet Parens, Filius tremere omnibus membris, toto corpore moueri, oscitare, sternutare, oculos reserare, & Parentem, allatis iam ad fugam, quæ extemporanea festinatio suggerebat, necessarijs, abiturientem inclamat: Et statim sanus & incolumis sese erigit, atque à terra surgit, remanentibus tamen ictuum ac trusionum vestigijs nigricanti, lurido cruentoque pallore suffusis. Tum illicò Parens cum Filio, immò cum illo cuncti, qui tam inusitatæ rei spectaculo aderant, terræ genua submittunt, Deo & Gloriosæ Virgini pro tam incomparabili beneficio gratias agunt.

Voti & precum ad Virginem mira efficacia Per... filius fugit redi... turus.

Venit tandem vterque, Parens, inquam, cum filio VVeyeram sacro Penthecostes die, anno 1613. cùm paucis diebus antea hoc tanto beneficio cœlitus dignati essent, & sacro epulo refecti, rem totam coram Parocho, & quamplurimis alijs, qui aderant, recensuêre, orantes & optantes, ne tanti miraculi memoria, speculum vtpotè eximium, è quo Parentes condiscát, qua moderatione in liberorum castigatione vtendũ, futurorum temporũ obliuione sepeliatur.

Historia præsens speculũ castigationis liberorum.

Heus Opocephale beneficiorum Marianorum Osor & Explosor; cur fidem rei verissimæ compertissimæque derogas? Vita, inquit, à Deo datur; penes ipsum est eius Dominium, qui flatum nostrum in sua manu tenet; non est in arbitrio Mariæ. Sed audi suismet verbis incredulitatem tuam redarguentes Sanctos Patres, Athanasium & Ioannem Damascenũ: *Cùm Maria Parens sit eius, qui omne cælum, omnemque naturam molitus est, verè ac propriè in res vniuersas Hera ac Regina nomen, & ius adepta est.* Qui res vniuersas dicunt, nec hominis vitam excludunt. addo Ego: Is fuerit in potestate Virginis, qui ab æterno vita erat, & fons vitæ, à quo omnium hominum temporalis, immò & æterna vita. Ne ergo Matri Dei adimito ius in vnius homuli vitam, qui eam Virginis Patrocinio fert acceptam, & cum Beato Bernardo illam lubens volensque salutat: *Per te accessum habeamus ad Filium, ô Benedicta inuentrix gratia, Genitrix vitæ, Mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.*

Hæreticæ oblocutionis reiectio.

Athanasius in Euang. de S. Deipara. Damas. lib. 4. Fidei Orthodoxæ cap. 14. Ser. 2. de aduentu Domini.

CAPVT VIII.

VIRGO FVRIOSA, VT CREDEBATVR, A MALO genio agitata curatur.

Gen. 3.
Iudith 12.
Hom. 7. in Genes.

C*Alcatricem antiqui serpentis gloriosam Iuditham nostram, quæ Tartareo Holoferni caput abscidit, Deus iam ab initio lapsi hominis designauit*, inquit S. Ioannes Chrysostomus; & verè: Subiectam, si ambigis, historiam lege & crede.

Virgo Phrenetico furore correpta.

Staffelsteinium celebre ac notum est oppidum capituli Cathedralis Ecclesiæ Bambergensis imperio ac ditioni subiectum. Ibi viri cuiusdam, & probi & integri filia honesta Virgo à sensibus & mente alienata, non maniam aliquam, aut melancholiam, sed potiùs furorem, omnimodamque insaniam penitùs induerat. Serpente dein longiùs ac latiùs malo, eò deuenit, vt non secùs ac si à malo genio inhabitaretur, horrendis clamoribus, dentium fremitu, ac stridore, corporis agitatione, è terra sublatione, & in pauimentum allisione, membrorum contorsione, præternaturali conuolutione, & alijs mille modis hospitem suum apertè proderet. Spumabat, spuebat, mordebat, laniabat sese pariter & alios indiscriminatim. Fœda facies, & vel hosti miseranda: Quid cognatis & amicis? immò verò, quid charis parentibus? facilè coniecturatu. Tentant & pertentant omnia; intentatum nihil omittunt, adeuntur nunc hi, nunc illi consilij caussa; introducuntur nunc hic, nunc alius opis ergò. Hic suadet, quod alius dissuadet. Probantur experimenta tam varia, vt numerus vix ineatur. At verò sanitati misellæ & afflictæ Virginis nihil inde emolumenti; durat miseria multo tempore, & quò diuturnior, eò vehementior. Peritissimi rerum Sacerdotes aduocantur; qui Puellam maligni Cacodæmonis receptaculum esse affirmant; Fugandum hospitem, si curandum sit hospitium.

Obsessa putatur à Diabolo.

Gen. 3.

Quid ergo boni Puellæ Parentes remedijs humanis frustra omnibus probatis? Consensu & voto Diuam VVeyerensem adspiciunt, tutelarem hanc inuocant, & aduersus notum, & obtrito sæpiùs capite fractum hostem bellicosissimam Heroinam. Audit potens illa serpentis calcatrix, adest; occulta vi hostem comprimit, coercet, eijcit, vexatamque Puellam ab omni iam infestatione immunem lætis Parentibus restituit. Veniunt ergo, & voti reatum deponunt, ac beneficium grata iucundaque memoria Parocho & multis præsentibus manifestant.

Totius

Totius rei decursus, vt iam memoratus, ad meas peruenit manus, nominibus Personarum non expressis. Noti sunt equidem, & satis noti, tam Parentes, quàm Filia: sed quia illis reticentia nominum placuit, placet & mihi; & salua in omnibus Puellæ liberatio perseuerat.

Ecce, vt *Leo de tribu Iuda* vicit *Leonem* illum, *qui* nullo non tempore *circuit*, perambulans omnes terrarum vicos, & angulos, *quærens quem deuoret*; sic eundem *Leæna Mater* eius, dum contra nos insurgit, hodierno die, vt videre est in hac puella, potentissimè expugnat & prosternit. Hic frontem corrugabis & nasum, O Marianæ deuotionis Antagonista, nec Matrem ac protectricem humani generis, *Leænam de tribu Iuda* salutari æquis auribus tolerabis. At ego te moneo: frontem exporrige; aures arrige, & S. Epiphanium verbis meis hunc Virginei honoris titulum approbantem, & constabilientem, & vindicantem audi: *Si Catulum Leonis Iudam obscurè dicit Iacob, Christum denotans; & in Apocalypsi habetur, Ecce vicit Leo de tribu Iuda ex semine Dauid; si itaque Dominus leoni assimulatur, non secundùm naturam, sed propter Ænigma, & eò quòd Regium animal inter omnia animantia violentissimum ac fortissimum, & aliàs per omnia gratiosissimum; profectò etiam Genitricem ipsius Leænā dixerim. Vnde enim omninò Leo gignitur, nisi de Leæna? Et quomodo Leo filius, si non Leæna mater vocabitur?* hæc Epiphanius. Claude, Contradictor, maledicum os tuum: *Leo* ille *cum Leæna Matre de tribu Iuda*, quid non præualeat contra bestias Infernales? Nam sicut Leo, & Leæna, inter quadrupedia obtinuere nomen Regis & Reginæ; ita & inter homines & Angelos, in cœlo, terra, & inferno Christus Iesus, & dignissima Mater eius, diuerso quidem intuitu, iure gaudent Regis & Reginæ solida potestatis integritate.

Apoc. 7.
1 Petri 5.
Maria Leæna de tribu Iuda.
Hæresi 78. Antidico Marianitarum.
Vindiciæ Tituli Leænæ & Reginæ pro Deipara Virg.
Maria Regina inter homines.

CAPVT IX.

MATRONA IAM IN IPSO AGONE, à grauissima desperationis tentatione emergit.

QVOD modò euulgatum imus, meritò pios omnes Christianos ad frequentem cultum, atque deuotionem Deiparæ Virginis accendat, vehementissimeque inflammet.

Margaretha Hagerin vidua, ætate iam sexagenaria, grauissimo, immò lethali, atque extremo, quo etiam decessit, oppressa morbo, Sacrosanctis quidem Ecclesiæ Sacramentis instructa, extremum vitæ diem, cum fiducia in Dei misericordiam, & Christi meritum, expectatura videbatur. Verùm humanæ salutis Iuratus hostis Diabolus magnam habens iram,

Tentatio Dæmonū grauissima in hora mortis.
Apocal. 12.

præſertim ſciens modicum tempus hominem infeſtandi, atque ab æterna beatitudine impediendi ſupereſſe, partibus ſuis, vt ſolet, nó defuit, ſed vehementiſſima deſperationis tentatione obijciens eius menti, neſcio quarum necdum ritè expiatarum noxarum ſcrupulos, & anxietates, tanto impetu bonam feminam inuaſit, vt miſera multis horis illa ſpei deiectione fracta, ſalutis omnem fiduciam abijceret, nec vllam ſacerdotum, eam Chriſti merito, ac Dei miſericordia erigentium admonitionem audiret, ſed fruſtra eſſe omnia palàm aſſereret; videre ſe ſuam damnationē in gehennæ incendijs paratam, nec ſpem ſupereſſe vllius exinde liberationis. Durabat tentatió cōpluribus horis. Morbus porrò is non erat, qui illam à mente alienare potuiſſet, ſed ſibi compos de omnibus alijs temporalibus rebus & negotijs rectè, ac diſcretè cum duobus Filijs ſuis, quos hæredes ſuperſtites reliquit, & ſentiebat, & loquebatur; de ſua tantùm ſalute conclamatum eſſe dictitabat.

Diuturnitas tētationis ad deſperationē.

Res ſanè & gemitu, & comploratione digna. Sed & nec deerant inter præſentes, & cognatos, & vicinos, qui ex animo condolerent. Extitit alios inter, qui ſuggereret filio, præſertim maiori natu, Paulo nomine, communibus votis, vocibusq; Deiparam Virginem VVeyerenſem toto pectore inuocandam, & votum pro agonizantis Matris immunitate à periculoſa Diaboli moleſtia, in hoc præſertim temporis puncto, nuncupandum. Audit Filius, & optimo conſilio obaudit, ac morem gerit, & votum pro Matre dicit, & peregrinationem ad Virginis Aedem.

Filius vouet Deiparæ Virgini pro tentata Matre.

Nec mora, facto voto Mulier ad modicum temporis punctillum, velut extra ſe poſita, ſtatim è lecto ſeſe erigit; & exporrecta, ac læta fronte cunctis adſtantibus, de ſe quid ageretur, exponit: Beatiſſima, inquiens, virgo apud me fuit, malignum hoſtem fugauit ac me facta ſincera confeſſione, de felici emigratione ex hac vita certificauit. Nihil illi de voto VVeyerenſi conſtare poterat, à Filio, clàm, ipſa inſcia, facto: Nihilominus tamen filio iniunxit, vt voti ſe abſolueret, & promiſſum honorarium munus Deiparæ VVeyerenſi fideliter offerret. Tum illicò ritè, integreque confeſſa, & ſacra Synaxi, ſacroq; oleo inſtructa, poſt horam circiter, IESV & MARIAE Nomen ſemper in ore tenens, animam reddidit Creatori.

Apparitio Beatiſ. Virginis certificantis agonizantē de felici tranſitu è vita.

Nec Filij Seruatrici Matris ingrati fuère, ſed liberali manu haud exiguam pecuniæ ſummam in vſus ſacræ Aedis Deiparæ Virginis obtulerunt, ſibique viciſſim Potentiſſimæ Cœlorum Reginæ munificentiam conciliarunt.

Placeat hic aliquid, Apophoreti Mariani loco, paucis verbis, at multo ac magno bono tuo, optime Virginis Cultor, attexere. Non eſt infrequens Dæmoni conſuetudo, ſanctiſſimos etiam homines in extremis agen-

Dæmonis tentationes in hora mortis.

tes horrendis visionibus terrere, vehementiori tentationum insultu aggredi, alijsq; modis conturbare: nam idem sanctissimo Præsuli Annoni, Archiepiscopo Coloniensi, iamiam animam exhalaturienti pertinaciter interitauit; qui Virginis opem verbis hiscè inclamauit: *Quaenam sunt, O Gloriosa Domina Dei Mater, quæ meis oculis obijciuntur, horrenda spectra? per singularem misericordiam tuam te obsecro, vt mihi ianua sis, per quam ex hac vitæ fæce, & colluuione euadam, & ad Filium tuum, ad te, & ad reliquos cœlites peruenire queam*; & paulò pòst, Duce Deipara, quam aduocauerat, cùm dilucesceret, ad fontem lucis euolauit. Sic S. Richardus Episcopus, cùm in agone similibus Dæmonum terriculamentis quateretur, verba illa Ecclesiastici Hymni instanter ingeminabat: *Maria Mater gratiæ, Mater Misericordiæ; Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*. cumq; iam paulatim loquela deficeret, iussit hæc eadem verba incessanter ad aures morientis inclamare, vel ipso moriendi tempore minimè ignarus, quid Virgo posset, præsertim verbis istis prouocata, quæ Mater in hunc finem cantat Ecclesia. O te Beatum iugiterque fœlicem, qui Dei Matrem in decessu tuo contra Dæmonum insidias, ac mortis angores sortitus fueris Protectricem. Sic Florentius quidam, ob veteris vitæ noxas, iam quidem expiatas, in extremo agone Sathanam se videre, horribili astantem vultu, vidit & fassus est; cuius ex ore flamma ingens vomeretur, è naribus fumus sulphureus erumperet, exilium minaci habitu intentans, quem cùm S. Ioannes Gualberdus, qui præsens aderat, salutifero Crucis signo fugasset, Sathanas abscessit, exclamat ægrotus: *Et ecce iam adest Benedicta Dei Mater, vt me ab omnibus eius insidijs tutum ad æternæ vitæ gaudia perducat*. his dictis, animam egit, & Patria exilium commutauit. Sic aspectu præsentiaque sua sub vitæ terminum S. Arnulphum Suessionensem Episcopum in graui Diaboli tentatione recreauit, eique instantem ex hac vita profectionem indicauit. Sic Adolphum, qui relicto Alsatiæ Principatu, D. Francisci Religionem professus est, iam moribundum, pauitantem, atq; trementem, Angelorum innumerabili multitudine stipata, verbis hisce animauit, Fili, quid times? aut cur mors adueniens angori tibi est? egredere securus è corpore; Nam Filius meus, cui fideliter seruijsti, gloriæ sempiternæ tibi Coronam dabit. Ille verò Virginis verbis, & aspectu recreatus, mortis horrorem in ingentem lætitiam, hilaritatemq; conuertit, & triumphaturo similis animam exhalauit. Quis omnes eiusmodi historias è veteribus Chronistarum monumentis erutas hûc apponat? Illud vnicum lubeat hic protestari: Millies ac millies felicissimum esse, cui sub tutela ac patrocinio DEI MATRIS contingit ex hac in alteram vitam demigrare.

Lib. 3. vitæ eius cap. 13. Lambertus Schaffnaburgensis in Chronico.

Rudolph. Cicestr. in eius vita.

Blasius Milanesius in vita S. Ioannis Gualberdi.

Lisiardus Episcopus in vita S. Arnulphi, c. 50.

Annales S. Ordinis Seraphici.

CAPVT

CAPVT X.

ALIA SVB EXTREMA VITAE PERIODO ab hæresi auellitur, Catholicæque Ecclesiæ gremio inseritur.

Mulier propè septuagenaria in hæresi pertinax.

ET hoc, quod sequitur, Cultui Mariano latiùs ac fortiùs propagando seruiturum speramus. Anna Schmidin, Casmandorffensis inquilina, Matrona iam propè septuagenaria, Bambergam iuerat, vt Filium inuiseret, Cancellariæ Principis nostri iam ab aliquot annis à scriptionibus administrum, nunc generalem Bambergicæ Ditionis Quæstorem. Is peregrè abierat negotiorum caussa, intra complures vix dies rediturus. Interea mater Vetula, senio grauis, & viribus defecta, lethalem in morbum incidit, extinctoque pedetentim naturali calore & humido radicali, velut oleo in lampade, aut lychnucho paulatim absumpto, ad proximam extremi fati lineam appropinquat. Nurus, pia fœmina de socrus salute meritò sollicita, Lutheranæ adhærescentem sectæ sciebat. Vocat è Religiosis familijs præcipuæ notæ Sacerdotes, & eos quidem sagacissimos animarum Venatores. Retia tendunt, & quocunq; modo fugitiuam capere contendunt. Verùm enimuerò, post multos labores, multis frustra, vltrò citroque collatis sermonibus in mari venantur, in aëre piscantur. Illa varios prætextus obtendere, varia causari, & ijs sese excusare; quibus veluti aranearum telis euidenter discussis, atque eneruatis, ad hoc tandem vltimò perfugium sese recipere; Iuramenti religione, quo se Prædicanti suo Bambergam abituriens obstrinxerat, quòd Euangelicam, si Dijs placet, nunquã desertura esset fidem, etsi Bambergæ apud Flium subsisteret, sese præpediri dictitare; Et hoc tandem friuolo effugio etiam eliso, cum indignatione, probris & contumelijs salutaria monita contemptim repellere, pertinaciterq; asseuerare, nolle se, quidquid comminarentur, in Papistica Religione mori; Hoc firmiter decretum esse; abeant, & missam relinquant. Cupiebat illa quidem; at non dimittitur, non relinquitur; minimè deseritur, nec ab hominibus, nec à Deo; quin etiam nec à Diuis, quorum tamen preces & patrocinia sæpiùs inculcata fastidiosè respuebat.

Pertinaciæ in hæresi Lutherana addit probra in Catholicos.

Fit votum ab alia pro ea.

Dum hæc vtrinque geruntur, vir quidam Religiosus, & eximiè pius, Diuino haud dubiè instinctu, votum Deiparæ Virgini VVeyerensi, cum Dupondij cæreo consecrat, monens etiã adstantes, vt secum Misericordię Matrem exorent, vt miseræ, extremis miserijs, & æternæ salutis dispendijs laboranti opem ferat. Ergo omnes, qui aderant, suppetiatum primariæ post Deum Auxiliatricis fortiter neruoseq; inclamant. O Prodigium; ô mutatio dextræ excelsi: obstinata ægrota & ipsa cum deprecantibus

Mariae nomen profert, Mariam ingeminat, Mariam inuocat, Mariam implorat, vt pro se apud Filium intercedat. Et insuper rogat, instante vitæ extremo termino, vt quàm citissimè Catholicæ Ecclesiæ reconciliata Sacramentorum particeps efficiatur: Non enim nisi quatuor vitæ horulas sibi ampliùs superesse; Idq; sibi certò exploratum constare. Catechizatur ergò, quantum temporis angustiæ sinebant, ad integram, solidamque confessionem disponitur, Dominici Corporis Viatico instruitur, sacro oleo inungitur, salutaribus, ad bene moriendum, monitis instruitur cœloque præparatur. Interea, dum quatuor illæ, quas designauerat, effluunt horæ, aliud nihil inclamat, nisi Christi Iesv sacratissimam Passionem, mortem, vulnera, sanguinem; & Matris eius Mariae nomen & misericordiam, & sub his ipsis duobus nominibus, Iesv & Maria, animam gratulabundo quodam affectu exhalat, suæ prædestinationis effectum tantillo etiam tempore suauiter assecuta.

Voto Deiparæ facto pertinacia superatur. Psalm 76 Prædicit horam obitus.

Conuersæ pius è vita transitus Calend. Februar. Anno 1614

Dramatis huius & spectator partim fui, partim pars & actor; demirans bonitatis Diuinæ amplitudinem, & Matris eius in exaudiendis piorum votis meritò suspiciendam procliuitatem. Nec dubitauerim, quod alijs persæpè fœminis, pariter ac viris, atque in primis S. Oportunæ Virgini, & sanctæ Elisabethæ, Lusitaniæ Reginæ in extremis beneficium legitur obtigisse, & illam quoque in Comitatu Gloriosissimæ Angelorum Reginæ ad æterna gaudia perductam.

Adolinus Sagiensis Episcopus in vita S. Oportunæ. Petrus Ioannes Perpinianus lib 3 laudationis 3 Elisabethæ.

CAPVT XI.

FOEMINA E PESTIFERA FEBRI LETHO proxima liberatur.

Vt diuersis premimur, & in hoc mundi Ptochodochio affligimur malis: ita diuersis à cælesti opitulatrice nostra subleuamur auxilijs: adstipulabitur Georgij Bechert, Ciuis Albimœniensis, vxor Barbara. Hæc Anno partæ salutis 1614. circa vernum æquinoctium æstuātissima simul, & acutissima febri, Vngaricam vocant, iam integris tribus mensibus opprimebatur; & ita grauiter, vt nullo non die morti vicina crederetur. Accedebant anginæ inflammationes, quæ non solùm palatum omninò exulcerant, sed & fauces in cassum renitentibus adhibitis gargarismis iam fermè concluserant, vt vix intelligibile verbum profari posset; quin & Columella, cum tonsillis, insanabili & cancroso vlcere iam iam excedebantur. Cedebant exteriùs magnitudini morbi remedia humana propemodum vniuersa: spei reliquum interiùs aliquid

Febris acuta cum angina & faucium exulceratione.

duntaxat residebat in mente, & vbi omnium Chirurgorum, quantulacunq; tandem opella, deficiebat; ibi supernæ Auxiliatricis præsidium efflorescebat.

otum ad irginem.

Ergo è cordis penetrali suspiria & preces ad Diuam Virginē VVeyerensem ablegat, ipsa cum votiuo munere, quàm primùm voti, & sanitatis compos euasisset, subsecutura. Audijt Diua, & annuit; Febrim non solùm abire iussit, sed & anginæ, & vlcerum vredine, ac putredine simul eliminata, tantum vigoris ei contulit, vt è lecto surgens, itineri se daret voto satisfactura. Abijt; confecta vel minima viæ parte, integerrimas omninò vires in corpore suo, vbicumque morbosa quæpiam affectio nidificarat, illicò restaurari persentiscit. Properat ergò ad Diuæ opitulatricis Ecclesiam, & vnà cum viæ Comitibus, vtpotè testibus fide dignis, beneficium Diuinitus acceptum euulgat, ac debita gratiarum actione collaudat.

ib. de excellentia irg. glorio e, cap 6. ntercessionis Beaissimæ Virginis is & efficacia.

O miram gloriosissimæ Imperatricis, & Reginæ nostræ promptitudinem in subleuandis vel extremis, & humanam opem omnem superantibus miserijs nostris! *Sæpè vidimus & audiuimus*, inquit S. Anselmus, *plurimos hominum in suis periculis recordari horum generis humani luminum, Filij Dei, & Matris eius Benedicta, & omnis periculi malum illicò euasisse; velociorq; nonnunquam est salus, memorato nomine intemeratæ Matris, quàm inuocato nomine Domini* IESV, *vnici Filij sui. Et id quidem non ideò fit, quòd ipsa maior & potentior eo sit, absit; nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa potens per ipsum. Quare ergo magis propitia salus in recordatione eius, quàm Filij sui semper percipitur? Dicam quod sentio: Filius eius Dominus est, & Iudex omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse à quouis, suo nomine inuocatus, non statim exaudit, profectò id iustè facit: inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur. Hoc denique vsus humanus quotidiè probat, cum quis interposito gratiosi cuiusdam interuentu, efficaciter ab alio impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare potest.* Hæc ex ore S. Anselmi; qui à suismet assertis omnem Thormopolarum, & Popinariorum Pseudo-Euangelicorum Calumniam fortissimè abigit, atque repellit.

Quomodo Deus exaudit per merita Matris.

* *
*

CAPVT XII.

ARMENTORVM GREX NVMEROSVS à contagiosa lue voto Deiparæ facto curatur, at voto haud legitimè persoluto, denuò inficitur, eoque redempto resanatur.

TANTA voti DEO facti est Religio, vt summa supremo Numini iniuria irrogari videatur, si in eius expletione, aut socordia quæpiam, aut fraudulentia dolusuè subrepat. Dubitas? Diuinam legem audi compluries id adstruentem, & primùm in Deuteronomio: *Quæ sancti ficaueris, & voueris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegit Dominus, & offeres oblationes tuas.* Rursum: *Cùm votum vôueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Deinde in Leuitico: *Homo qui votum fecerit, & spoponderit animam suam Deo, sub æstimatione dabit precium.* Et in Numeris: *Si quis Virorum votũ Domino vouerit, aut se cõstrinxerit Iuramento, nõ faciet irritum votũ suum: sed omne quod promisit, implebit.* Apertiùs Dauid: *Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera; Terribili & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ*: vindici inquam & vltori Deo, si voto fidem denegâris. Adstipulatur Syrach: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei stulta & infidelis promissio.* Nec immeritò; Nam si homini data fides omnino sanctè seruanda est, & sine perfidia violari nequit; quantò magis Deo, ac Diuis alligata? *Quia iam vouisti*, inquit sanctus Augustinus, *iam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. minor enim tunc esses, non peior, modò autem, quod absit, miserior, si Deo fidem fregeris; quantò beatior, si persolueris?* Et Cassiodorus: *Bonum quidem votum, si tamen nihil admisceatur aduersum: Nam licèt vbique deceat Iustitiam custodiri, in illis tamen rebus maximè necessaria est, quæ Diuinis obtutibus offeruntur, ne putemus ignorare Deum, vnde accipiat, si fraudatis oblationibus acquiescat.* Eximia quidem, fateor, in Deum est Pietas, vouere; at summa Impietas, votum violare: *Ea verò*, vt scribit sanctus Hieronymus, *in nostris apud Deum officijs gratiora, quæ cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen impendimus caussa dilectionis.*

Votorum quanta Religio.

Deuter. 12.

Ibidem.

Leuit. 27.

Num. 30.

Psalm. 75.

Eccl. 5.

In Epistola ad Armentarium & Paulinum Coss od. lib. 3 Epist. 8.

Epist. ad Polentiam.

Sed si quid voueris, quod non absque aliquo tuo incommodo facilè

De præcepto & dispẽsatione.

præstiteris? audi S. Bernardum: *Absq; summa necessitate remissio voti, non dispensatio, sed præuaricatio est: iustè enim exigitur ad soluendum, qui non cogitur ad vouendum.*

Quid plura de votorum sanctitate isthic in medium proferri postules? historiam cape, & veram & summis etiam viris probè notam, quam is, qui potissimùm eius Personam agit, adhuc, etiamnum hodierno die, oretenus recensebit; & disce, verum esse illud Poetæ:

Ouid. Heroid. Epist. 19.

Non boue mactato cœlestia numina gaudent;
Sed, quæ præstanda est, & sine teste, Fide.

Casparus Francus Ciuis & Lanio Bambergensis amplissimum ducentorum circiter Taurorum Polonicorum gregem Brigæ coemerat, & Bambergã agere constituerat. Grassabatur tunc temporis armentaria lues per totum tractum Septentrionalem, & boues illos præpingui Corpulentia spectabiles ita iam corruperat, vt nec dimidiatus eorum numerus integer & incolumis remaneret. Vix enim oppidulum, cui à Gallo nomen, attigerat, cũ iam quinquaginta duo capita amisisset; subuerebatur, quod & alijs contigerat, totum gregem irreparabili iactura pessum iturum. Huic vt perniciei, quantum in se esset, protinus occurreret, coram viæ & negotij consortibus expresſè, conceptisq; verbis vouet: sacra Virgo VVeyerensis, si tu Armenta hæc, quæ supersunt, salua & illæsa domum perduxeris, vbi ad sanctam Ecclesiam tuam in VVeyer meo in transitu deuenero aut optimum è toto numero bouem, aut eius precium, in ære numerato, ad vsus sacræ Domus tuæ, votiui muneris ergò, persoluam. Dictum factum. Eadem ipsa hora morbidi boues, quotquot veneno illo conflictabantur, omnes conualescunt, & quadraginta germanicarum leucarum spacio Bambergensis Territorij confinia feliciter attingunt, & VVeyerensem tractum paulatim post se relinquunt. Tempus iam imminebat, vt voti reus à reatu se expediret: At ille pœnitens promissi, & subdubitans, nimium esse, quod spoponderat; idque forsan ex animi impotentia aliqua potiùs, quàm deliberata voluntate profectum: indeque pro integro & pinguissimo boue aureum nummum, Ducatonem appellari mos est, votiui anathematis loco dependit.

Lues armentaria.

Res mira & inaudita; retractat ille promissum; reuocat Dei Mater subsidium; Crediderim, non vt nocumentum homini inferret, sed potiùs, vt grauius ab eo maiũ auerteret, & propulsaret, sacrilegium inquã voti violati. Ecce enim, quàm primũ VVeyerẽsi domo valedixerat, totius gregis facilè princeps, & nitidissimo abdomine cõspicuus inter alios Taurus cõtagione corripitur, & pòst in Issacẽsi vallè cadit, expirat, carniuorisq; feris,

Punitio violationis voti.

ac volucribus in prædã cedit. Sed quid de reliquo grege? Et ipsum pestifera lues denuò inuadit, nec vno quidem boue saluo ac sano Sic ergo malè affectos ex animo dolens Bambergam ægerrimè perducit; vbi integri octidui adhibita medela ne hilum quidem proficit.

Quid hic ageret? quid consilij caperet? quò se verteret? quod factu optimum, tacita mentis cogitatione perfidiam suam deplorat, & de integro bouis precio persoluendo cogitat; errati veniam à Deipara non sine intimo cordis dolore exposcens. Depromptis itaque viginti quinque Rhenensibus Florenis, sic enim prima emptione vnumquodque caput taxabatur, addito voti noui superpondio, per expeditum equitem ad VVeyerense Virginis domicilium præpeti festinatione transmittit.

Solutionis integræ voti euentus mirabilis.

Quo fructu? obstupesco dum refero. Vbi primùm lytron illud votiuũ Virginis aram attigit, eodem momento Bambergæ Boues alij ad vnum omnes pessimè iam pridem affecti, periculoque proximi, integram sanitatem adipiscuntur, ita vt ne vngula quidem de toto numero pessum iuerit.

Nouum insuper aliud compendium addidit liberalissima Benefactrix: nam resanati boues in saginam dati carnositate pariter, luculentaque pinguedine sic accreuerunt, vt mactati partim, & partim diuenditi precium eorum, qui lue illa perierunt, lucroso cum fœnore compensarint.

Aliud beneficium.

Tanti quippe momenti res est Deo ac Diuis vouere, & quod voto sacratum est reddere. *Vbi* enim *voueris, rogabis eum*, hortatur Iob sanctus, *& exaudiet te, & vota tua reddes*. Væ tibi, si votum tuum dictorum factorumque constantia fraudaueris: quid? an hæc fulmina & minæ ex ore meo, vel fulgura è pelui? absit, absit. sunt à Spiritu sancto: *Ruina est homini*, ait Salomon, *deuotare Sanctos, & post vota retractare*.

Iob 22.

Prouerb. 20.

Tu quisquis es, qui voto quopiam Deo aut Diuis te obstrictũ m nosti; Exolue quod vouisti: & caue alieno doctus malo, ne quid deterius tibi contingat.

* * *

CAPVT XIII.

RELIGIOSVS A CONTRACTIONE BRACHIO-rum, manuum, crurium ac pedum restituitur.

GRaue malum, & Medicis detestabile neruorum spasmus ac tendinũ conuulsio ex arthritide, pleuritide, ischraticis colicisque vt plurimùm profluens doloribus. Inuaserant rapaces illi humanæ sanitatis prædones Venerabilem ac Religiosum virum F. Ioannem Hagelium Cisterciensis Ordinis Professum in Monasterio Lanckhemensi (tum temporis anni 16 5. Mense Iunio adhuc Parochum Alttenkunstadensem nũc autem Priorem præfati Monasterij) eumque acutissimis omnium totius corporis membrorum doloribus, lumbagine insuper, & asthmate sic e macerarant, vt manibus pedibusque contractus, omniumque membrorũ vsu destitutus, duobus integris mensibus lecto affixus hæreret, ac ne vix quidem subalaribus fulcris nixus pedem alterutrum de loco in locum transferre posset. Ergo intraneas pariter catapotiorum euacuationes, & extraneas medicorum & Chirurgorum consilio fomentationes, frictiones, vnctiones adhibebat; quo fructu? malum ne minimo quidem digitulo cedebat, sed & magis magisq; indies augescebat, atque ita vehementer affligebat, vt noctes diesque somni & quietis expers ageret.

Morbi nobilis grauitas.

Nulla proficit medicina.

Quid ergo? valedicta medicina, dimissa Chirurgia, quid remedij capessit? Virginem aspicit, & spretis, quę ab hominibus suppetunt, remedijs, animum, spem, preces ad illam vertit; votum, inquam, Deiparæ VVeyerensi præmeditatè consecrat, & cum donario aliquo, ac Missæ sacrificio sacram eius AEdem quamprimùm inuisere parat. Pijs precibus pias aures non clausit Pia Mater; sed potiùs promptè admisit, annuitque petitis. A Iunio Mense, decurso iam Iulio, Augustus ad finem properabat, quando ille vota sua cum precibus ad Virginem destinabat. Quid illa? auxiliũ remittebat: nam ab eo tempore dolores euanuêre, membra laxata rigorem amisêre, nerui natiuum robur recuperauêre, vt tametsi non omninò sine ligneis sustentaculis, commodiùs tamen ambularet. At verò visitata demum eodem adhuc mense Deiparæ VVeyerensis Ecclesia, pristina sanitas ab exilio reuocata, in veteri domo sua, quam adhuc hodie salubriter inhabitat, cum gaudio diuertit. Nec solùm hoc sibi præstitum beneficiũ inter Ecclesiæ monumenta & annales conscribi; verùm etiam lignea fulcra, in quibus id sculptis literis est expressum, sacri Anathematis loco re-

Votum ad sacram AEdem VVeyeranam.

Eius fructus.

liquit, iuxta sacerrimam illam, & iam inde ab Apostolorum temporibus vsitatam consuetudinem, de qua inter alia multa sanctus Theodoretus: *Martyrum* (vt Virginis gloriosæ) *templa per annum non semel, aut bis, aut quinquies frequentamus: sed sæpius diebus singulis eorum Domino laudes decantamus, & hymnos dicimus. Piè verò fideliterque precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei persoluunt; Nam alij quidem oculorum, alij manuum, alij pedum carea simulacbra* (aut aliunde, quia perinde est, confecta) *suspendunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia.* Apage superstitionis lutum ab Euangelicis mugonibus huic antiquissimæ pijssimæque cæremoniæ aspersum.

Pia priscorum Catholicorū cōsuetudo *Lib. 8 de curandis Græcorum affectionibus*

CAPVT XIV.

DVO DOMICILIA TOTO MVNICIPIO CONflagrante ab incendio seruata.

DIgrediendum semel, atque è Franconia nostra vltra Bohemicam Syluam in Morauiam excurrendum. Casparus Heinfridelius Patria Leogastensis, at modò Hegnicensis oppidi in Morauia ciuis & incola, è longinquo per tot milliarium spacia à tutelari patriæ suæ Patrona Deipara Virgine VVeyerensi in extrema calamitate positus auxilium supplex petijt, ac veraciter impetrauit. Terribile incendium Anno 1616. in præfato Hegnicensi Municipio, verno tempore, Mense Aprili (casu, an industria, dubito) oriebatur vt maior pars ædium flammis absumeretur. Res tum ipsius potissimùm agebatur, cùm vicinorum Domicilia in fauillam & cineres iam desedissent. Sic inualuerant flammarum incendia, vt globis hinc inde volantibus omnis aquarum infusio, & extinctionis opera irrita esset, & inanis.

Terribile incendium.

Ergo Deiparæ VVeyerēsis memoria animo obuersante, in genua procubuit, Domicilio suo, & supellectili incolumitatem flebili oratione cōprecans, simulque promittens Ceræ massam absque certi ponderis determinatione, argenteumque donarium ad sacram illius AEdem quamprimùm sese destinaturum. Audit hoc è contigua domo vicina mulier, & eius exemplo mota, ipsa quoque in terram procumbit, atque à Diua VVeyerensi seruationem Domui suæ efflagitat; & quod ille vouerat, & ipsa pariter vouet.

Votum pro incolumitate domus.

Alterum.

Res admiratione & stupore plena: Totū municipium ab incendio sic vastatur, vt ne bouile quidem, aut harra steterit à flāmis immunis; solæ illæ duæ domus eorum, qui Deiparam Seruatricē adoptauerant, cū omnibus,

quæ ambitu suo complectebantur, saluæ & incolumes permanebant. Porrò ne beneficij immemores ingratitudinis apud Diuam Tutricem incusari possent, literis per Fridericum Schickium Leogastensem, Cursorem Viennensem, Cæram & Argentum pariter R. D. Ernesto Bonnio, tũ Parocho VVeyerensi, Ioanni Hiltnero, Ioanni Vischer VVeyerensibus incolis, & in sacra domo Fabricæ Præfectis, ipso Corporis Christi Festo transmiserunt; tantumque sibi à Diua collatum beneficium in Actuarijs sacræ Domus ad perpetuam posterorum memoriam annotari petierunt.

[Margin: ...seruatio ...eminæ ...omus pla... ...e prodi... ...giosa.]

At nos ô Diua, quæ domos istas in medijs flammarum globis stupendo planè prodigio præseruasti, tibi supplicem cum sancto Anselmo deuoto Encomiaste tuo libellum hodie porrigimus, cuius hæc series; vt animas nostras, domicilia Spiritus sancti à sæuissimis gehennæ incendijs sartas tectasque tueri ac saluare patrocinio tuo digneris: *Intercede ergo, Domina piissima, vt nobis ad effectum proueniat, propter quod Deus noster ex tuo castiss mo vtero factus homo inter homines venit. Ne sis, quaso, exoratu difficilis, quia procul dubio idem Benignissimus Filius tuus Dominus noster* IESVS CHRISTVS *erit ad concedendum, quidquid voles, promptissimus. Tantummodò itaque velis salutem nostram: Nam verè absque filio tuo, cuius es Mater, salui esse nequaquam possumus. quid igitur stringet larga misericordia tua viscera, Domina, contra nos, vt nolis saluari nos? Certè Deus noster teste Propheta Misericordia nostra est & tu einsdẽ Domini nostri absque dubio vera Mater. Si tu ergo, quæ Dei Mater es, & eò reuerà Mater Misericordia & gratia, denegas nobis effectũ Misericordia, cuius tam mirabiliter facta es Mater; quid faciemus, cùm idẽ Filius tuus aduenerit, cunctos aquo iudicio iudicaturus? siquidẽ, licèt ipse Filius per te factus sit frater noster, vbi volũtatẽ tuã, sua videlicet dilectissima Matris magis porrectã viderit, illuc seruata aquitatis ratione, à qua te nullatenus discrepare videbit, Iudicij sui sententiam, siue ad misericordiam inflectendo, seu ad iustitiam intendendo promulgabit. Subueni ergo nobis piissima Domina, & non considerata peccatorum nostrorum multitudine velle tuum ad miserendum nobis inflecte.* Hæc Diui Anselmi, & nostra cum illo ad Virginem humilis oratio; vtinam efficax & fructuosa.

[Margin: *Lib. de excellentia Virginis gloriosæ cap. 2.*]

[Margin: Maria misericordiæ Mater.]

[Margin: Maria Procuratrix humanæ salutis.]

* *
*

CAPVT

CAPVT XV.

EQVVS AVRIGAE AB INTERITV LIBEratur.

QVanta sit Deiparæ Virginis in afflictos mortales benignitas, vel exinde liqueat, quòd nec eos, vt iam sæpè monitum, qui sunt extra Ecclesiam à sua beneficentia excludat.

Conradus Richterus Helmrechtensis sub Brandeburgico Marchionatu inquilinus, merces in biroto curru (nos carrum dicimus) precio vectitare solitus, in Thurringiam, vt salem adferret, ituriebat. Prosperè succedebat iter eunti: non ita redeunti: nam media in via Equus aut nimio pondere delassatus, aut morbo aliquo affectus, aut viribus aliàs defectus corruit omninò, & nec clamore, nec nutu, nec terriculamentis, nec verbere ad surgendum impellitur. Inops consilij miser auriga quid ageret? quò se verteret? quem auxilij caussa in medio itinere, & vnde exciret? Nemo planè, nemo vspiam, prô dolor, comparebat. Ergo Lutheranus tametsi esset, siquidem tamen tam multa & admiranda de Virginis Deiparæ VVeyerensis auxilijs ac beneficijs inaudisset, concepta ad eam fiducia, promissoque honorario munere, ad sacram eius AEdem opem ipsius non dubitauit implorare. Vix verba finierat: Et ecce equus surgit sanus & incolumis, & onustum prægrandi & insolito pondere currũ sine vllius difficultatis indicijs domum deducit.

Hominem Lutheranũ se inuocantem non despicit gloriosa Virgo.

Vt porrò accepta beneficia in aquas facilè scribuntur: ita contigit & bono illi viro: Nam nec Deiparæ gratias egit, nec votum opere compleuit. Altera vice denuò earundem mercium ergò Thurringiam petit itinere satis fausto: at reditus alter non est dissimilis primo. Concidit denuò equus, & multò minùs, quàm nuper, vt se erigat à casu, compelli potest. Dolet auriga suam vicem, dolet non minùs ingratitudinem suam: Nec audet denuò petere, quod antea feliciter impetratum tam ingratæ, tam perfidæ tradiderat obliuioni. Nihilominus fiducia animum addente, denuò suam grauiter incusans ingratitudinem, Virginis gloriosæ subuentum inuocat, & duplicatum cærei votiui donarium pollicetur. Auditus est, & exauditus hac etiam vice. Surgit equus, & post breuem pausam haud instigatus, haud adactus carrum suum præpropero festinatu ad locum subuehit destinatum. Et auriga oneris liber Religione etiam animũ expedit; VVeyeram ergo, vt Diuam in sede sua salutet, & de beneficio laudes gratesque dicat, decima die Septembris anni 1616. posthabitis ne-

Facilis obliuio beneficiorum.

Monitio redditionis voti.

Denuò exauditur.

Soluit votum.

gotijs omnibus properat,& geminum ibidem beneficium apud eos publicat,qui sacræ domus curam habent.O exuberantissimam Dei Matris benignitatem,quæ nec alienigenas cultum eius & Patrocinium ignorantes immò non agnoscentes & vltrò reijcientes à latitudine misericordiæ suæ nequaquam excludit.

Tua isthæc,ô Diua,est promissio: *Qui me inuenerit,inueniet vitam,& hauriet salutem à Domino.* Vtinam ista,& eius similes complures ouiculæ te sedulò quærant,reipsa inueniant,inuentam ament,colant,obseruent , ac ductu tuo veram vitam Filium tuum IESVM CHRISTVM in vera eius Ecclesia vestigent,apprehendant,firmiter teneant,& donec æternam ab ipso hauserint salutem,minimè dimittant.

Prouerb. 8

CAPVT XVI.

VTERVM GESTANS MATRONA, IN ACVTISsima febri quotidiana, Epilepsia sæpius iterata, apoplexia, multisque periculis vnà cum fœtu seruatur.

Prouerb. 3

QVem diligit Dominus,corripit,& quasi Pater in Filio complacet sibi. Expende quod iam subnecto & edissere; Num nostrum collimet ad scopum Salomonicum istud Axioma.

Margaretha optimi quondam Ciuis & Senatoris Bambergensis Michaelis Arnoldi vxor,Marito iam acuta febri , quæ & vitam longiori dignam periodo in medio iuuentutis eius flore demessuit,ac decurtauit & ipsa eadem febre iam sexto Mense vterum ferens corripitur. Ille inter paucissimos dies vitam piè finit , & indubitata spe metam salutis attingit. Ipsa verò vrgente febri eiusdem periculi discrimen adit Marito necdum sepulto. Mori quidem,& cum charissimo coniuge vno eodemq; recondi sepulchro minimè formidabat:Illud tamen vnicè dolebat,fœtum, quem iam animatum in vtero gestabat,sine regenerationis lauacro perire,quem beneficio Virginis gloriosæ in tot annorum sterili Matrimonio impetrauerat, eique acceptum ferebat.

Periculum fœtus in vtero Matris.

Sed nondum finis;mala accumulantur,vt remedia crescant; & discrimina iterantur,vt salutaris efficacia Patrocinij virginalis magis inclarescat.Funebribus iustis marito iam persolutis,periculo febrili dierū aliquot continua sine vlla diei aut noctis interpolatione Epilepsia accedit,

Morborum aliæ accessiones.

tanto quidē cū impetu, vt abortione nimiùm immatura fœtū propediem extrusura videretur. Adsunt obstetrices, adsunt discretæ, quas iuratas vocant mulieres; Eæ partim fœtum iam mortuum asserebant: partim ægrotam nunquam prægnantem extitisse credebant: Illa interim, quoties è diurnis aut nocturnis paroxysmis paululùm ad se redibat, nihil aliud à Gloriosa Diua VVeyerensi petebat, quàm vt fœtus, quem ipsa per Filiū dedisset, lucis huius vsuram aspiceret & baptizaretur, nō curans quamdiu post baptismum viueret.

Nec hic substitére morborum grauamina. Cessantibus aliquantisper Epilepsiæ agitationibus succedebant apoplexiæ symptomata multò periculosiora, ita vt quandoque nec linguam ad loquendum resoluere, nec brachia aut crura alterutrius lateris mouere posset, membris lethali quodam frigore rigescentibus. Abibat & redibat periculum sæpius. Ipsa interim nihil aliud optare, nihil aliud in votis habere, atque à Christo Domino, & Gloriosa eius Matre efflagitare, quàm vt fœtus accepto lucinæ beneficio vitales hasce prodiens in auras, Baptismi gratiam assequeretur. Sæuit interim febris, torquet Epilepsia, affligit Paralysis mutatis vicibus vsque ad tertium mensem, dubia semper spe, ancipitique metu, tam Medicis, quàm obstetricibus de vtriusque salute defixis. Immò plerisque vix credentibus eam vterum gestasse, aut viuente fœtu prægnantem extitisse dixisses cum Poeta:

Lethalia in eodem morbo symptomata cōplura.

Vincitur ars vento, nec iam moderator habenis
Vtitur; At votis is quoque poscit opem.

Obganniret hic vtique, si adesset Nasutulus quispiam virgineæ laudis, antagonista, obtrectator: si tam pia, tam clemens, tam prompta est Patrona vestra, vt iactitatis; cur vota & preces afflictæ huius Matronæ non audiuit? cur tam diu non exaudiuit? cur distulit? cur auxilium ita necessarium tanto tempore suspendit? Heus bone vir, insulsas cogitationes tuas, ac dicteria noli ingerere arcanis diuinis: Nouit Deus, quid & quando debeat dare, nouit Gloriosa eius Mater, quid & quando à Filio pro suis deuotis conueniat petere, vt valeat impetrare. Non distulit, vt negaret, sed vt oportuniori tempore, quod differebat, concederet. Sanctum audi Gregorium: *Eò magis homines pij exaudiuntur ad meritum, quò citius non exaudiuntur ad votum; ex dilatione enim crescit desiderium.* Et hic istud Dei cōsilium, si lubet, facillimè deprehendes.

Hæreticæ calumniæ reiectio.

Dilatio exauditionis.

Lib 20. Moral. cap. 25.

Nemo credebat imbecillam Fœminam in tantis tam grauium morborum insultibus tātisper vitam protrahere posse, vt id admirandi prodigij loco haberent omnes. Protraxit tamen Dei beneficio singulari:

Extremum vitæ periculum.

Partus tempore à morbis deſeritur.

Iam propè erat tertius Menſis, & tempus inſtabat, quod Puerperio naturæ curſu præfixum credebat. Et ecce remittit omnis Epilepſia, abeunt alia grauiora accidentia, febris etiam ſenſim lenitur, & partus doloribus ingruẽtibus, facillimè fœtum enixa omne periculum euadit. Filiolam peperit, quæ ſacro fonte abluta ad Matris ſolatium trimeſtri ſpacio, quamdiu nimirum ægrotauerat, in viuis ſeruatur, ac tandem ſingulari Dei beneficio ad gaudia cœleſtia euocatur. Matre interim incolumi adhuc ſuperuiuente.

Notitia publica huius miraculoſæ ſeruationis. Tract. in Pſal. 47.

Dixi quædam, plura tacui, ne aut periculi magnitudinem, aut beneficij, quo id depulſum, præſtantiam nimiùm videar augere. ad totius ciuitatis Bambergenſis notitiam prouoco & appello. Et ipſa, quæ beneficio eſt affecta, beneficium agnoſcit, & immortales in hodiernum diem Chriſto IESV, & Benedictæ eius Matri gratias agit, *cùm*, vt S. Auguſtinus affirmat, *Deo pares referre gratias nemo poſſit.*

CAPVT XVII.

EPILEPSIA CVM FEBRI AD MORTEM DEcumbens perſanatur.

Eccleſ. 27.

V*Aſa Figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis*; ait Syrach. cuius diuinæ ordinationis experimentum conſtanti animo ſubijt, & patientiæ clypeo armata, viriliter pariter ac piè ſuperauit Eliſabetha Steinfelderin, honeſta pariter ac pia Bambergenſis Matrona.

Ea namque diuturna & aſſidua febri omninò exhauſta, tandem Epilepſia multis diebus intrinſecus potiſſimùm, quod vt plurimum ſummo periculo coniunctum, grauiſſimè torquebatur; ita vt nec illa ſibi, nec medici illi ſalutis ſpem aliquam ſupereſſe arbitrarentur; quin potiùs & ipſa nulla alia de re, quàm de hac vita felici termino claudenda cogitabat, & eum in euentum diuiniſſima Eccleſiæ Sacramenta ſumma deuotione appetebat.

Vitæ huius deſiderium naturale etiã in bene paratis ad mortem.

Nihilominus tamen & mariti, & liberorum amor huius vitæ deſiderium vehementius eius in animo concitabant. His ergo & ſimilibus à natura emergentibus incitamentis. quaſi ſtimulis impulſa, toto pectore ad Diuæ VVeyerenſis præſidium ſibi confugiendum exiſtimauit. Vouet. itaque peregrinationem, & ſupplicat pro ipſa cum ipſa tota familia. Nec ſine voti emolumento ſanitas Matri reſtituitur; Mater ſana ipſis. Ad ſacram igitur VVeyerenſem Baſilicam protinus ſe conferunt, & vota perſoluunt, ac R. D. VVolffgango Amando

Parocho loci, & vnà multis pręsentibus beneficium aperiunt, Deiparæque Virgini perpetua gratiarum munia persoluunt. Rectè quidem & iustè erga Deum & Diuam benefactricem; salubriter in seipsos. DEVM *iugiter sibi subuenire facit*, inquit Cassiodorus, *cui collatum beneficium semper ante oculos assistit. Inuitat eum ad magna, qui grauiter suscipit modica; & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit, nec frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur*; addo ego, & qui cum Poëta non tam verbis, quàm affectu erga Diuam nostram protestatur:

In Psal. 33.

Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis,
Perpetuusq; animæ debitor huius ero.
Spiritus hic vacuas priùs extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo:
Quàm subeant animo meritorum obliuia nostro,
Et longa pietas excidat ista die.

Lib. 1. Trist.

Quin immò, ô liberalissima Cœlestium Donorum Dispensatrix, & ego
Semper inoblita repetam tua munera mente,
Et mea me tellus audiet esse tuum.

Lib. 4 de Ponto.

CAPVT XVIII.

FOEMINA EVADIT A FEBRI, ET Dysenteria lethali.

VT nulla est in hoc mundo miseria, cui homo non aliquando, ita disponente Deo, subijciatur: ita nullum tam grande malum reperitur, cui Virginis Deiparæ interuentu, si assiduis pulsetur precibus, exoptatum tandem remedium non afferatur. aio non solùm; sed & astruo viuido, ac viuenti adhuc exemplo.

Barbara, VVolffgangi Alberti Ciuis Albimœniensis vxor diuturna febri, quam vocant Vngaricam, ita grauiter conflictabatur, vt iam pridem de vita eius fuerit ab omnibus desperatum. Verùm vt nulla alibi plerunque calamitas sola: sic nec apud illam. Febri æstuantissimæ morbus contrarius, Dysenteriæ Comes adiungitur, eheu, quàm ingratus, quàm molestus, quàm iniucundus? Sic enim is acerbè diuersorium suum dies noctesque diuexabat, vt sanguinis fluxus nullo planè remedio sisti posset. Exinde misera, vix rationis compos, vel verbulum amplius alijs intelligibile fatur. Nec victura diutiùs, nec pristinam sanitatem vnquam recuperatura à peritioribus rerum æstimatoribus credebatur. Et quod

Nulla Calamitas sola.

Periculum vitæ ex vtroque morbo.

 extre-

extremum est mali, illud viuere, mors erat continua; mors tamen non sequebatur.

In hac tanta rerum omnium desperatione suggeritur ei Consilium, vt voto aliquo honori Deiparæ VVeyerensis dicato, auxilium eius imploret. Paret illa monito salutari, & talum à linea mouens, Diuam VVeyerensem interioribus affectuum pedibus accedit, eidemque vouet sacrificium Missæ in Aede sua, & peregrinationem, quamprimùm per vires liceret. Non repulit pias preces Virgo Dei Mater, sed cum effectu afflictæ mulieri remisit. Eodem die alui fluxus induratur, febris admodum sensibiliter attenuata exterminatur; ipsa paulatim vires recuperat, & 28. Mensis Maij currentis anni peracto voto, beneficium ijs, qui præsunt Ecclesiæ VVeyerensi, enumerat, atque vt inter alia, memoriæ ergò, describatur, impensiùs rogat.

[margin: Voti exauditio accelerata.]

Et nos te obsecramus, ô Diua, cum Andrea Cretensi: *Placa Dominum pro nobis; iram eius auerte à communi figmento: Nam quamdiu quidem versabaris in terris, te habuit parua terræ portio; ex quo autem translata es in Cœlum, te vniuersus mundus agnoscit, commune Propitiatorium & Asylum.* O Propitiatorium, ô Asylum nostrum, benedicta Virgo: sudes eris hæreticorum in oculis: Intende tamen prosperè, procede & regna in cordibus tibi deuotorum seruulorum, quos inter minimus numerer & ego.

[margin: ...s Encomio ...e Virginis ...ormatione.]

CAPVT XIX.

MVLIER IN PVERPERII DOLORIBVS EXTREMO vna cùm fœtu periculo eripitur.

COELI *scalam*, meritò appellari Deiparam Virginem, S. Fulgentius Episcopus censuit. Et quid ni vota nostra per ipsam transmittimus ad Deum, vt auxilia Diuina in terras nobis reportet. Interroga, si placet, de rei veritate Ioannis Vogelij Hortulani vxorem Margaretam: Ea namque in partus doloribus multo tempore laborauerat, ita vt non solùm obstetrices, verùm etiam Fœminæ, quæ magno numero præsentes aderant parturienti, de ipsius vita actũ esse crederent; sed & fœtũ in vtero omninò extinctũ existimarent. Hoc sanè in casu, O quàm facilè, periculum in mora. Vocatur ergò Sacerdos, confitetur illa, sacram suscipit Synaxin, & sacro iam oleo inungenda, mente in Deum eleuata, pro fœtu suo intercessione Deiparæ Virginis VV yerensis ardentissimè rogitat, vt tantisper duntaxat lucem aspiciat, quò regenerationis lauacro æternæ salutis pignus accipiat. De vitæ suæ prorogatione nihil velle & petere, cùm sentiat, se viuere ampliùs non posse. Hoc vnum tantùm ingeminat,

[margin: ...rm. de ...udibus ...ariæ ...Maria scala ...Cœli]

[margin: ...aboranti ...rauissimè ...partus ...doloribus ...ibuenit ...rauissima ...irgo.]

vt Virgo Dei Mater, quæ in Ecclesia VVeyerensi tot tamq; eximijs beneficijs claret, pro fœtu suo supplicantem exaudiat. Ac simul etiam Marito suo peregrinationẽ ad sacram Aedem VVeyerensem suadet, & impetrat, vt promittat. Et ecce eodem momento vociferatur illa cum gaudio, sentire se fœtum in vtero adhuc viuere, & tempus partus adesse. Parit ergo Filiolum, corpore & viribus integrum: baptizatur is, nec moritur à Baptismo, plus datur, quàm rogatur. Virginis gloriosæ beneficio & Mater & filius incolumes adhuc prosperrimè in viuis degunt. Sic liberalis Dei Mater Beneficia beneficijs apud grates in primis Clientes adauget.

Lib. 2 de fugiendis idolis

Pia Puerperarum Catholicarum cõsuetudo

Vt porrò Virginis Matris præcipuus in Puerperas fauor, & in Puerperij difficultatibus benignitas magis elucescat: quin potius, vt Pregnantium erga illam deuotio vberius excrescat, adijcere placuit, quod VVilhelmus Lindanus, huic instituto affine scriptum reliquit: *Quando ad solatium Puerperarum pia conueniunt Matronæ Christianæ, solent de more laudatissimo coram imagine Diuæ Virginis, inuiolatæ Matris Mariæ, Christum gestantis honoris simul & inuocationis gratia candelam infidelis, lucisque animorum symbolum accendere, vt suis precibus Deum Puerperæ faciant propitium, ne aut abortiant, aut infeliciter pariant. Contigit annis superioribus, quandam mihi notissimam (quæ & matris sua nomine iam pridem non audiebat benè in caussa religionis) Puerperio laborare; conuocantur cognatæ, affines & vicinæ, vt de more Hollandico fieri solet. Vrgentibus Puerperij doloribus, Candela imagini B. Mariæ, vt solet à quadam cognatarum accenditur. Puerpera sui veneni, quo à teneris infecta laborabat, non oblita, in illam cœpit excandescere, quæ Candelam D. Mariæ accenderat, exclamans subindè, tollendam esse, neque se ferre posse honorem illum imagini fieri, qui Deo debebitur. Vbi exclamare misera non desinit, irruunt dolores sensim acerbiores, puerumque tandem enixa est ita miserum, vt frustulatim in lucem fuerit editus (quemadmodum mihi occulta testis narrauit) incredibilibus impiæ Matris cruciatibus, & intollerandis tormentis. Neque sanè à fide alienum videri homini Christiano debet, B. Mariam sine dolore Puerperam, sine mœrore matrem, sine corruptione Virginem, religiosè ad auxilium de more inuocatam, Puerperis singulari solatio succurrere.* hucusque Lindanus; & rectè & Catholicè.

* *
*

CAPVT

CAPVT XX.

PVER MERSVS IN STAGNO VITAE redditur.

MIRA & vera, & si quid aliud, supernumeraria testium multitudine roborata & confirmata, modò vt gesta sunt, ita simplici narratione, per se vtpotè illustria & magna explicabuntur. Ioannes Hoen Leogastensis incola, Anno reparatæ salutis 1616. postridiè festiuitatis Principum Apostoiorum, Petri & Pauli, in prato suo, iuxta stagnum maius infra Leogastum fœna secabat. Dum is operi suo attendit, Caspari Hannaueri, itidem Leogastensis Inquilini Filius, Martinus nomine, qui ibidem anserum gregi aduigilabat, præpropero cursu, sublato clamore, aduolat, vociferans puerum quendam (Nicolai Hohenbergeri Filiolus quadrimusus is erat) in stagno natitare iam mortuum. Territus ille nuncio, & abiecta protinus falce, ad stagnum sine mora contendit, Puerumque iam procul à ripa medijs innatantem aquis videt, sed sine voce, sine motu, sine omni alio vitæ indicio, capite & cruribus iam vnda coopertis, soloque dorso aliquantulum prominente.

Puer in aquis suffocatus.

Quid faceret? quo eum extraheret, instrumenti ad manum nihil erat. Stagno se immitteret certissimo mortis discrimini vitam expositurus, & incertam Pueri vitam seruaturus? Consultum non videbatur. Ergo arrepta harpagonis loco prælonga ex ijs pertica, quibus agri & prata carcerari consueuere, aut cuspide fixum, aut aquæ motu pulsum ad se attrahere, & aquis eximere tentat. Sed frustra: Nimis procul à stagni aggeribus aquis superfluitans recesserat. Omninò omitteret, & opem non ferret? Charitas erga vicinum non sinebat. Audendum erat aliquid. Vestes proinde exuit, & stagno sese tantisper, & eousque immittit, vt iusto interueniente spacio Puerum attingat. Res non parui laboris, ligno, quod expers omnis tenaculæ, & vncini, puerum ductare ad marginē ripæ.

Signa mortis omnia in puero ex aquis extracto.

Diu itaque multumq; laboratum, donec apprehenderet; sed apprehensum haud minori cum labore exportat; & exportatum in aggere deponit. Totus inflatus erat, Carbone atrior, solenne suffocatis; rigidus toto corpore; nec validè concussatus sentiens aliquid, nec vllum membrum mouens, nec oculos aperiens, aut aliud quodpiam vitæ signum edens. Stat ibi anxius & mœrens iuxta Cadauer Pueri, dubius quid ageret.

Ergo omnes, qui in circumuicinis agris & pratis laboribus operam dabant, quà clamore, quà nutibus, & signis, quà missitationibus Pue-

ri, qui rem indicauerat, ad miserabile, quod præstò erat, spectaculum euocat. Adproperant; quid faciant? quid opis ferant? Probãt singuli, & varijs experimentis vitæ aliquod indicium elicere satagunt. Sed frustra: omninò expirauerat. Nec is, qui indicauerat Puer, incidentem, sed in aquis duntaxat iacentem viderat. Concluditur ergo; Paternam in domum asportetur. Aberat tum domo Parens, Norimbergam profectus.

Euidentia mortis pueruli submersi.

Viso exanimi etiam defuncto Filiolo, quàm fuerit perculsa Mater, facile æstimatu. Hic fletus & eiulatus, hic suspiria & gemitus miserrimã sortem suam lamentantis & nulla planè vicinorum cateruatim concurrentium solatia admittentis. Monét illi, rem Deo & pueri Corpusculum terræ commendet; siquidem Diuini Numinis voluntati, cui nemo resistere valeat, ac repugnare, ita visum fuerit de vita eius disponere: Fata immutabilia esse, propterea acquiescat; sese interim, quæ ad funus pertineant, curaturos.

Sepultura defuncto puerulo iã adornatur.

At mater, crediderim Cœlitus inspirata, in terram procidens, sublatoque vultu & manibus in Cœlum, Christum inprimis summum in opportunitatibus adiutorẽ prõ Filij vita inuocat, & Deiparæ insuper VVeyerensis Patrocinium impensiùs implorat, vt filio ad vitam reditum impetret. Deinde surgens ab oratione votiuũ illud Donarium ad sacram Virginis ædem quæ, vt retulimus, Leogasto non procul abest, vltrò nemine monente transmittit. Quod dum per expeditum hominem defertur, ipsa interim ardentissimis precibus robusta cum fiducia Virginis misericordiam instanter fatigat. O prodigium, O miraculum Diuinæ benignitatis, & Potentiæ, immò & Maternæ Virginis beneficentiæ totum fontem manans atque ostendens!

Matris afflictæ supplicatio pro filio.

Vix sacram Virginis AEdem votiuum munus afflictæ Matris è manu latoris tetigerat; Et ecce, Puer primùm tremere, deinde oculos aperire, aliquoties oscitare, ac post iteratam sternutationem linguam in verba resoluere, & velut è somno experrectus matrem interrogare, an necdum Parens redijsset? Iuuatur matris, aliorumque manibus, vt se erigat; erigitur, vomituque, quam hauserat, aquam eijciens, oblata in cibum & potum libat, ac valetudine integrata, eodem die cum matre, & quamplurimis notæ fidei hominibus ad sacram AEdem VVeyerensem alacris progreditur, vbi mater & Comites pariter mirabile Dei beneficium, quod iam in vicinia passim innotuerat, verbis exaggerant, grates laudesq; dicunt, & Puerum offerunt Saluatrici. Totius rei gestæ series tàm est clara, tam nota, tot oculatis testibus rata, tam manifesta, vt extra omnẽ, etiam iuratissimi antagonistæ, Aduersarij calumniam emergat, & Mariomastygas, quotquot veritati obmussitare, apertęq; luci oggánire atq; contradicere

Puerulus defunctus reuiuiscit.

solent, turpissimè confundat.

Anno 1618. 7. Decemb.

Quinimmò, vt publica etiam authoritate res tanti momenti roboraretur, iussere, qui Rebus Ecclesiasticis in hac Diœcesi præsunt, vt R. R. Domini Vdalricus Faulmuller Steinacensis, & Andreas Episcopus VVeyerensis, Parochi, D. Ioannes Franckenberger Quæstor, & Fridericus Schrämnius Præfectus Steinacensis, & Sebastianus Laugius Præfectus Leogastensis, Ioannem Hoen, Pueri Matrem, & alios, qui interfuerant, coram Notario & testibus sub Iurisiurandi attestatione examinati, de successus veritate deponerent, & insuper tota series authentico Instrumento complexa in Archiuio Sacræ domus ad perpetuam posterorum memoriam reseruaretur. Quod cuiuis requirenti à Notario subscriptum adhuc potest exhiberi.

Miraculi huius authẽtica solẽnizatio coram Notario & testibus.

Nihilominùs haud dubitauerim, inuentos iri, quibus iure meritissimo illud Clementis Alexandrini occinatur: *Quomodo turbatus oculus lucẽ perfectè videre non potest: sic mens peruersis hæreticorum dogmatibus corrupta in his quæ sunt præter naturam veritatis fulgorem perfectè non intuetur. Quin etiam ea, quæ sunt præ pedibus & meridiano sole clariora, luscis ac lippientibus oculis contemplatur: sic enim velut anguillæ in aqua turbida, faciliùs à Dæmone capiuntur.* Et hic funis ac finis, immò & funus omnium obstinatè contradicentium miraculosis Beneficijs Deiparæ VVeyerensis.

Lib. 7. Stromatum.

CAPVT XXI.

MVLIER LVTHERANA SANGVINIS fluxu ad mortem diu laborans consanescit.

Lib de contemp. Mariæ in Prologo

CAEteri sancti, vtor verbis S. Idiotæ, antiqui Doctoris, *iure quodam Patrocinij pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in Curia altissimi, quàm pro alienis; Beatissima verò Virgo Maria, sicut omnium est Regina, sic & omnium Patrona, & Aduocata, & cura est illi de omnibus, non solùm Domesticis, sed & extraneis.* En tibi illustrem admodum, & insignem historiam, quo id probatum detur. Thomę Seiferd inquilini Cottennauiẽsis, sub Guttenbergico Dominatu, vxor iam tertiò & sæpius abortum passa, fœtum miserabilem toties in vtero extinctum ineluctabili quodã infortunio effuderat. Ante triennium quoque simili abortionis periculo perfuncta, morti quàm vitæ vicinior, eò miseriarum deuenerat, vt infantulus iam emortuus non nisi frustatim ex eius vtero potuerit extrahi, & violẽter euelli; quis nõ credat, summo & ineffabili Puerperæ cruciatu? malũ porrò consecutũ dolores, qui præcesserant, satis abundè cõtestatos, credibilesq; reddebat: Exinde namq; sanguinis fluxus diu noctuq; conti-

Miseria mulieris sæpius abortientis.

Fluxus sanguinis ex abortu

nuus

nuus sic eam torquebat, vt hora vix vlla toto triennio ab intolerãdis cruciatibus immuni frueretur. Cõsuluerat Medicos & Medicas, vti perhibẽt, Culmobacenses, & Baiorutanos, peritissimas eiusmodi muliebrium morborum curatrices opis causa adierat, & compellãrat; opem ferre cõplures quidem tentabant, at re ipsa non dabant. Cruciatus interim perdius & pernox cum miseria multiplici, quam honestiùs tacere, quàm profari lubet, de die in diem magis magisque increscebat.

Erat Aegrotæ Soror Leogasti habitans, Catholicæ Religioni addicta, Barbara nomine, certissimum ac præsentaneum remedij genus, Diuino haud dubiè consilio suppeditatura. Mea, inquit, charissima soror, si me audies, à morbo tuo, quem incurabilem credis, ipsa certitudine certiori fide liberaberis. Firma spe, & fiducia in Dei misericordia, & Matris Dei intercessione apud Filiũ, siue votiuũ aliquod munusculũ, siue peregrinationẽ promitte ad sacram Aedem eius VVeyerẽsem; curaberis haud dubiè, mihi crede, à triennali illo, & insanabili malo tuo. Illa, vt hæresi Lutherana imbuta erat, tergiuersari primũ, & vt à ganeonibus Pseudo-euangelicis, à Ministris inquam Prędicanticis edocta erat, Idololatrię noxam obtendere, si à Maria, aut alio Sãcto opem efflagitaret. Bono esto animo, inquiebat Barbara, meliùs informata soror vnicè dilecta: Nulla hic Idololatriæ suspicio, nullus superstitionis reatus: Deus adoratur, atque ab eo sanitatis auxilium petitur; Maria vt nobiscum, & pro nobis oret, & Filium interuentu suo exoret, tantummodo inuocatur. Quid tanta Mater à tanto Filio non impetret? Quid tantus Filius tantæ Matri non lubentissimè annuat, quam tantopere honorat? Qui mortuos in Matris gratiam eius interpellatu motus ad vitam reuocat, qui tot afflictis, tot miseris, tot calamitosis, vt Matris honori deferat, tam varia, tam admiranda, tam stupenda auxilia in hodiernum diem exhibet, is te, dummodo quod petis, nihil hæsitans firmiter credas, indubitanter speres, nec à sua, nec à Matris Beneficentia te repellet. Eia age, cor meum, suauissima soror obsequere; nõ pœnitebit, voti compos eris, optatam sanitatem, mihi crede, Virginis Mariæ interuentu, aut saltem longè præstantius aliud beneficium, quod æternæ saluti tuæ conducibilius, à Diuina bonitate consequeris.

Piũ Catholicæ fœm nę consiliũ Lutheranæ datum.

Distinctio inter Adoratiõnẽ Dei & inuocationem Virginis.

Audit misera, & sanitatis auida credit, spem concipit, consilium acceptat, ac trinam, numero Augustissimæ Triadi sacro, peregrinationem cum votiuo munere Virgini spondet. Peragit primam, & alteram sacræ AEdis visitationem, & à prima hora in horam meliùs habere se persentiscit, doloribus iam integrè abactis. Tertia vice, dum votum persoluit, præsenti populi frequentia, triennalis ille sanguinis fluxus plenè sistitur, & integerrima eadem hora sanitas reuertitur.

Trini voti solutio, triplex in Lutherana fœmina sanitatis restauratio.

Quæ hîc voces audientium Dei & Virginis Matris Beneficentiam de-

Gratitudo ꝓ beneficio accepto.

prædicantem ab Eccleſia adhuc extorrem fœminam? quę gaudia? lachrymas etiam aliquæ non tenent. At illa magis magiſque vigeſcere, & ſaſſa eſt infundi ſibi vires vt aquam ab alto, & per corpus totum manare, ac diſpergi. Læta igitur fidei ſuæ fructu promittit Diuæ Virgini annuam viſitationem cum Donario, vt tantum Beneficium debita gratiarum perſolutione recognoſcat.

Et hæc omnia vtraque Soror, compluribus alijs miraculoſæ ſanitatis teſtibus, coram R. Domino Moderno loci VVeyerensi Parocho, VVolffgango Amando non ſine arbitris alijs compluribus declararunt, & alijs Virginalibus Beneficijs acenſeri voluerunt. Vtraque adhuc eſt ſuperſtes Miraculoſæ huic ſanationi, quoties opus erit, iuratum etiam teſtimonium præbere, & perhibere parata.

CAPVT XXII.

OCVLORVM VSV ORBATVS ILluminatur.

GRande malum, vſu luminis deſtitui, & oculorum detrimento ſiue Naturæ inuidia, ſiue Fortunæ aduerſo caſu mulctari. Eſto: dixerit Antipater ille Cyrenaicus mulierculis quibuſdam cæcitatem eius deplorantibus: *Quid agitis? quid meam oculorum orbitatem defletis? an vobis nulla videtur Cæcitatis voluptas? Noctu omnes cæci ſumus, nec tamen lamentamur.* Ego verò nō dubitarim, hanc præſtantiſſimi ſenſus iacturam, quam Rex Sedechias, & ſenior Tobias non ſine graui dolore ſubierunt, inter præcipua huius vitæ mala numerandam. Adſtipulabitur mihi, ſat ſcio, qui id eſt expertus, Eberhardus Burckhard, VVeiſchenfeldenſis Ciuis. Nam is diutino oculorum dolore multis annorum ſpacijs vehementiſſimè, ita pro maiori gloria ſua diſponente Deo, cruciabatur. Origo mali; eroſiua defluxio ſalſedine ſua tunicellas pariter & humores Organorum cum Pupillis morſicando acerbè lædens, & lucis radios obtundens, excrementitiaque ſematum pituita, cilijs & hirquis iugiter obcreſcente, penitus obſcurans. Res eò tandem miſeriarum deuenit, vt nihil ampliùs videre, nihil diſcernere poſſet. Id ſolùm radiuſculi cuiuſdam inſtar minimi reſtabat, quod illi ſubobſcurè lucentes tantummodo faces, & candelas accenſas repræſentabat. Vtebatur Collyrijs, & Oculiſtarum, quos vocāt, Encauſticis macerationibus, atq; ſecturis: Verùm ſine fructu: neq; enim redibat charum oculorum lumen, ſed magis magiſq; obſcuratum fugiebat. Non erat, quò recurreret, vbi medelam reperiret.

Iocus Philoſophicus de cæcitate. *Volateran. lib. 23. Anthropol. Laert. Herod.*

Hierem. 39. Tob. 2.

Grauitas mali cæcitas.

Verùm, auſpicatiſſimo ſanè Omine, audit alios recenſentes ſtupenda

VVe-

VVeyerēsis Virginis Beneficia variè, varijsque modis, varijs hominibus ad illam supplicatum itantibus collata. Ergo in animo suo haud parū valida spe redituri luminis excitata, quotannis toto vitæ tempore, dūmodo per vires liceat, Sacram eius AEdem inuisendi, aut si facultates id negent, alium sua vice submittendi, votum Virgini spondet. Subsequenti nocte vehementiori solito oculorum dolore, breuissimo tamen tempore, vrgebatur: Dum interea sentit, nō quidem visibilem, attamen sensibilē quandam manum, vultum atque oculos sibi leniter perstringētem, & quicquid erat doloris, ac mali abstergentem. Recedit dolor, & cum dolore abit obscuritas. Manè cūm surgit, ita clarè videt, ac si oculorum læsionem in vita nunquam foret expertus. Properat itaque ad sacram Virginis AEdem, debitas gratiarum actiones cum laude persoluit, & Beneficium acceptum præsentibus, qui nouerant exoculatū, testibus annunciat, vt cæteris Gloriosæ Virginis Beneficijs connumeraretur. Multi, grauesq; testes, & mali huius, & remedij supersunt: Nec ambigere est, nisi ijs, qui ex professo impugnant Diuam & Diuina.

Luminis mira restitutio.

CAPVT XXIII.

COLICIS ET ARTHRITICIS DOLORIBVS EXtremè confectus iuuatur.

SI quæ mira accidant, dummodo vni alteriue innotescant, Preconis voce, & festo tubarum clangore non est opus; à volatili volubilique fama nullo negotio longè lateq; promulgantur: Vt enim plerique à natura nouitatum auidi sumus: ita libenter ea, quæ resciuimus noua, alijs communicamus. Sparsus erat rumor de illius, quem modò diximus, oculorum obscuratione depulsâ. Is tandem complurium relatu peruenit ad aures Calamitosissimi cuiusdā iuuenis, Leonhardi Hornl in; qui calceorum sutura victum quæritabat. Hunc à multo tempore non solùm colici dolores supra modum immaniter torserant: Arthritici quinimmò cruciatus membrorum omnium vsu sic totum exhauserāt, & iam pridem eneruarant, vt nemo vel vnicum vitæ diem ei amplius polliceretur. Concepta ergo è fama illa forti fiducia, beneficium sperabat, quod alter iam, licèt in dissimili morbi genere, assecutus erat. Dāt itaque se voto Deiparæ VVeyerensi; illa extemplo vouenti pristinam vicissim reddit sanitatem. Venit indepta sanitate cum præcedenti luminum vsu redonato; & altero, qui sequetur, testimoniumque accepti Beneficij perhibet vtrique; & ipse vicissim sui accipit ab illis. Sed ecce tertius aduentat.

Nouitatum oēs auidi sumus à natura.

Votum illico consequitur sanitas.

CAPVT XXIV.

DIVTINO E MORBO MENTIS INOPS, & sanitati & menti redintegratur.

IOannes Amblingus, & ipse VVeischenseldensis Ciuis, multis mensibus Phrænetica Febri iacuerat à mente alienus, vix vnquam redeunte vel breuissimo interuallo rationis vsu, nisi post enormissimos furores, quibus non rarò multò vehementiùs solito agitabatur.

Ex aliorum colloquio spes ægroti ex votum.

Contigit maximo suo bono, vt die quadam, vbi detumuisset agitatio, qui eum inuisebant, cum domesticis de illius restitutione, qui oculorū lumine orbatus extiterat, sermones miscerent, Deiparæque Virginis VVeyerensis beneficia summis præconijs efferrent. Animatur & ipse, atque in spem sanitatis minime decipiendus erigitur. Votum sacrat Gloriosæ Virgini ad domum eius; simulque statuit è viæ occasione S. Trinitatem in Gossvveinstein eadem opera inuisere. Et ecce ab illa hora Phrænesis omnis disparuit; furoris nihil amplius sentitur, corporis exhausti vigor quodammodo reuiuiscit; Surgit igitur, & Prioribus duobus viæ, & votiuæ peregrinationis Comitem se adiungit, vt in ore trium Benefactricis Deiparæ Gloria magis magisque illustretur. Appulerunt apud sacram VVeyerensem domum 17. Mensis Iunij, præsentis anni 1617. votisque peractis, singuli sua sibi collata Beneficia, quibus poterant reduces in Patriam, encomijs deprædicabant.

Tres sanati simul veniunt ad sacrā Virginis domum, vota soluturi.

Tu ergo, quisquis aut clade aliqua premeris, aut calamitate torqueris, audi monentem: *Accede ad gloriosissimam Virginem Mariam, quia per ipsam & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus, & habiturus est omne bonum, filii et super Benedictum Filium eius: Ipsa preces, sacrificia & vota seruorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur, repræsentat in conspectu Diuinæ Maiestatis; Quia est Aduocata nostra apud Filium, sicut Filius apud Patrem: Imò ò apud Patrem & Filium procurat negotia & petitiones nostras, quia thesaurus Domini est, & thesauraria, omniumque gratiarum eius perpetua dispensatrix.* Hæc ab ardenti Virginis cultore: nos ad alia properemus.

Idiota lib. de contemplat. Mariæ in Prologo.

CAPVT XXV.

VENEFICIA A PECORIBVS DEPVLSA.

SVppetit Diabolo, vt Tertulliani verbis loquar, *ad vtramque hominis substantiam lædendam subtilitas & inuisibilis quædam atque in effectu potius, quàm in oculis apparens Potestas.* & si vim eius varijs quondam casibus experto fidem habemus; *Non est Potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, vt neminem timeret:* Quamobrem si animam lædere nequeat, corpus Deo permittēte aggreditur; quòd si vt intra limites & cācellos omnis eius furor à sanctis Angelis Dei iussu cōpescitur, & coercetur, ne in corpus accipiat sæuiendi facultatem, bonis temporalibus minimè parcet; vt ab exemplo S. Iob procliue admodum coniectare. Sed quid si nequeat ipse damnū consciscere? substituet amanuenses suos, Magos, Sortilegos, Veneficos, Dæmonolatras, quos ad omnem perniciem cunctis Creaturis inferendam homagio deuinctos habet.

Apologetici cap. 22. Diabolus hostis formidabilis. *Iob 41.*

Dæmon si nequeat per se, lædit per Veneficos.

Sic sanè Kunigunda Schoberin Hortulana nō vna vice, sed sæpius muliercularum quarundam occulto fascino, haud sine inuidorum opera geniorū grauia in Pecoribus suis, ac præsertim Vaccis aliquot lactæ copiosissimis detrimenta sustulerat. Vt porrò vexationem illam auerteret, varia hinc inde conquisiuerat, & conquisita etiam vsurpauerat medicamenta, & amuleta prophana, & fortassis à superstitione haud aliena; sed sine omni fructu: Iam .n. funestæ & perniciosæ lamiæ Dæmonum administræ optimam totius gregis, & amantissimam Vaccam ita confecerant, vt omni momento interitura crederetur. Taceo alia, quæ incantamentis suis machinantur detrimenta.

Veneficia pecoribus illata.

Quocirca præstantiori vsa consilio, pro se ac tota domo, & vniuersis possessionibus suis voto se adstrinxit Beatissimæ Virgini VVeyerensi. Et ecce, ab illa hora non solùm veneficijs propemodum internecioni data fœcundissima illa lactis mater, sed & reliqua armenta illico persanata sic pristinum vigorem recuperauere, vt nihil ex ijs, ne vngula quidē pessum iuerit: quid dico pessum iuerit? quinimò & auctuarium superaddidit, ac mantissam: Nam omnia eiusmodi mala, haud dubiè Virginis tutela, à domo sua deinceps omninò fugata & propulsata reipsa hactenus est experta. Votum igitur persolutura, 18 Iunij die, Anno salutis humanæ, quo suprà, ad sacram AEdem venit, & non solùm Parocho, verùm etiam ijs, qui loco præsident, Virginale Beneficium gratanti animo significauit.

Voto Virgini facto veneficia pelluntur.

CAPVT XXVI.

FEBRES PERICVLOSAE A VARIIS *fugatæ.*

TAnta morborum, ac præſertim Febrium varietas præteritis proximis annis per totam ferè Germaniam deſæuijt, vt nec ipſi quidem Peritiſſimi Medici omnes earum differentias, atque naturas quiuerint dignoſcere, multò minùs curare. Crebra namque experientia compertum, quod aliàs in ſimili caſu extiterat medicamentum, hic intuliſſe non rarò grauiſſimum detrimentum. Quamobrem & illi, qui merito ſuo, & vt huius artis Principes in honore ac veneratione apud vulgus habebantur, prudenti, & haud fallendo ſuaſere Conſilio, vt nullis omninò Pharmacis febricitantes vterentur; Id enim quàm ſecuriſſimum eſſe. Verùm alia altioris medicinæ Archiatra, Virgo inquam Dei Mater medica manu ſua, cœleſtique medela ſine difficultate Febres illas hominum opera immedicabiles vel minimo nutu fugauit. Ac tot quidem votorum ſolutione pręclara ſanitatis redditæ beneficia agnouerunt, atque apud S. AEdem, ne tantæ Medicatrici ingrati haberentur, memorias eorum depoſuerunt, vt integrum volumen conficiendum foret, ſi omnia & ſingula iam recenſitorũ inſtar explicare oporteret. Pauca tantùm, eaq. breuiſſimè hoc & ſequenti capite vel à longè obiter ſalutantes attingemus. Reliqua beneficiarijs à Glorioſa Virgine, quod in optatis habebant, conſecutis apud alios euulganda & deprędicanda relinquemus.

I. Sorores duæ Margaretha & Eliſabetha, è Pago Trugendorffenſi, non procul Vorchemia, febri continua, & ardore ſuo natiuum non ſolùm calorem depaſcente, ſed & caput, ac cerebrum vehementiſſimè perturbante, duobus Menſibus decubuerant, certo mortis periculo, nulla ſpe vnquam redintegrandæ ſanitatis. Votum ergo peregrinationis ad ſacram AEdem VVeyerenſem vnà ſimul emiſere, & votum illico ac ſine mora conſequẽte perfectiſſima ſanitate 18. Maij, Anno 1617. in ſacra domo ritè ac debita cum gratiarum actione perſoluère. Et hæc, quæ à nobis narrantur, & ipſæ retulere, & apud alios paſſim deprędicauère.

II. Bambergenſis Paruulus, duodennis circiter, cuius nomen in Actuario ſacræ Domus non exprimebatur, credo, quia Parentes id ſileri malebant, febri acutiſſima diu multumque penitus confectus, viribus omninò exhauſtis, menſibus aliquot decumbebat, eius de vita vt Medici omninò conclamauerint actum eſſe. Fit votum pro ipſo ad Deiparã VVeyerenſem, & illico ſanus è lecto ſurgit. VVeyeram ergo cum ſuis Sanatri-

cem ſalutatum Virginem 8. Iunij, Anno 16.7. venit, & de Beneficio grates laudeſque rependit.

CAPVT XXVII.

ALIA PRAECEDENTIBVS DVOBVS NON abſimilia.

III.

FAtetur Ioannes Philippus Franckenbergerus, Vir honoratus inter ſuos, tum oretenus edita profeſſione, tum votiua etiam Peregrinatione donarioq; 13. Iunij, 1617. ad ſacram domum perſolutis, ſe è lethali, & medicis, quorum opera vſus fuerat, incognita febri, nec venarum ſectionibus, nec Pharmacorum ſumptionibus curari vnquam potuiſſe, ita vt nil certius, quàm præſentem iam vitæ terminum ſibi perſuaſerit, eumque in finem domui ſuæ diſpoſuerit, vt eò quietiùs, ac ſecuriùs hinc migraret. Veruntamen, quamprimum voto, quotannis, quouſque viuere daretur, Glorioſæ Virginis VVeyerenſis Eccleſiam deuotè inuiſendi, ſe ipſum obligaſſet, febrim illico ſibi valedixiſſe, ita vt in extrema, in qua iam agit, ſenectute vegetioribus vigeat corporis viribus, quàm vnquam antea tota vita.

IV.

Margaretha Bezoldina Neuenſorgenſis inquilina, febri affecta, quæ non ſolùm integro menſe vires corporis exhauſerat, ſed & planè furioſam, ac Phrænetico ſimilem reddiderat; in quo toto temporis ſpacio vix tantum lucidi interualli nacta eſt, vt expiatis noxis ſacra Synaxi, ſacroque oleo ad alterius vitæ iter expediretur. Iam omnis ſpes vlterioris vitæ in fumos abierat, at ipſa ad Deiparam VVeyerenſem conuerſa voto ſe addixit, & ſtatim reuiguit; an non potius dixerim, reuixit? certè intra paucas horas plenè reualuit, & votum animo conceptum circa idem tempus opere compleuit.

Plura liceat aggerere; ſed aut prioribus paria, quæ cũ tædio iterentur; aut obſcura, id eſt nec locis, nec temporibus, nec Perſonis ſatis definita. Superſedemus igitur, & quid ni ſatis iſta beneficentię & Potentiæ Glorioſæ Virginis aſſerendæ? ſed & Pietati ac Religioni in animis excitandæ, ſi qui ab vtraque ex profeſſo non ſint alieni.

CAPVT XXVIII.

DEIPARAE VVEYERENSIS INVOCATIO à subitaneis præseruat infortunijs.

ræseruatio e liberatio malis e-usdem be-neficentiæ officia.

MInoris haud æstimandum, à graui periculo quempiam præseruare, atque eo iam incurso, maloque inflicto medelam adhibere, & acerbitatem calamitatis tum demum propulsare. Vtrobique Beneficium perillustre cernitur; in hoc, & illo tàm præseruatoris, quàm liberatoris clementia declaratur. O patentissimos iterum campos in laudes Deiparæ nostræ VVeyerensis amplissimè excurrendi! O vberrimam segetem Reginę nostræ potentiam encomijs efferendi! Sexcenta, quinimmò innumera propemodum huiusce præseruamenti exempla passim occurrerunt, & in notitiam nostram sese agminatim insinuarunt; quis omnia adnotaret? quis scriptis consignaret? quis sine molestia legeret? quis sine tædio audiret? & denique, quis voluminis modus, & quando finis foret? in genere si sumantur, ne vix quidem breui temporis spacio decurruntur, quid si in indiuiduo? quanti hæc laboris impensa?

Summaria collectio cō plurium beneficiorum Virginaliū.

Hic fors subiectum delapsus in ignem, inclamando Deiparam VVeyerensem, sic cadit, vt nullam ab igne capiat læsionem. Ille fluminum vorticibus profundissimis haustus, & planè demersus, aut vado, aut natatu, cui nunquam assueuerat, aut mirabili, nunquàm aliàs experto, ductu emergit. Alius è superiori, decem, quindecim, viginti, pluriumve graduum scansili, siue cubiculo, siue contignatione, aut suo ruit pondere, aut deturbatur, & in ipso lapsu Deiparam VVeyerensem inclamat, & sine omni læsione pauimentum aut aream velut inuisibili manu demissus leniter attingit. Hic equo aut cespitante, aut corruente, aut in præceps agente, ephippio excussus, per dumeta, scopulos, & saxa, equo desuper iacente, & premente volutatus, in ipsa præsentissimæ necis periodo Diuæ VVeyerensis adiutorium sibi adesse postulat; & surgit illæsus. Ille cisio, curru, carpento, aliove vehiculi genere euerso, in decliuia & lapidosa substernia, dum Virginem aduocat, formidabili iactatu decutitur; & euadit à dolore, & ab omni læsione immunis. Alius à latronibus aut quæritur, aut inuentus & iam adprehensus, Virginis, cuius tutelæ se dicat, defensione manibus eorum mirabili fortunio eripitur.

Quis

Quis omnia & singula percenseat? Nulla est clades, nulla calamitas, nulla miseria, afflictio planè nulla, quam non disijciat, non in momento dispellat Diuæ nostræ VVeyerensis tutela. Viri primarij, & leuicularum imaginationum haud temerè creduli de hisce & similibus examinentur, qui apertè profitebuntur, verè hanc vim & Manum Dei esse. Atque adeò hic mos inter ipsosmet etiam Lutheranos circumuicinos inualuit, vt in omni luctuoso euentu Diuam VVeyerensem, nec sine præsentaneo fructu, implorent.

Omnia malorū genera fugat virginis patrocinium.

O Diua, Diuorum omnium Domina, & Regina! perge porrò in nos non solùm Ecclesiæ Filij tui tuosque clientulos, sed & in illos quoque extraneos Benefica esse, & in corpore animum etiam cura. Cura inquam illos, qui à Deo & à te versi, prisca sacra, & ritus deseruerunt, nouis adhæserunt; iterum deserant, & tam claris signis moniti, hîc Deum, hîc pietatem esse rebus docti assentiantur.

Miserere VIRGO, mitis es; fac quod soles:
Miserere, MATER es DEI; fac quod potes.

LIBER QVARTVS MIRACVLOSORVM BENEFICIORVM DEIPARAE Virginis VVeyerensis.

CAPVT PRIMVM.

COLLOQVIVM LECTORIS.

Orat. de Annunciat. Virginis.

IN mystica illa Fœderis antiqui arca liceat de Principe Thaumaturga nostra sermonem habituris Gregorij Thaumaturgi Elogio fidenter vti; Duo Cherubini sedebant Propitiatorium tenentes, vnde Numen illud Æternum sciscitantibus arcana, & futuros rerum euentus quæritantibus responsa dabat, propitioque fauore suppliciter exorantibus exoptata beneficia liberaliter impertiebatur. Facies alterius Cherubini mascula visebatur, altera Fœminæ vultum ac lineamenta exprimebat. Significabat quippe iam tum Beneficus Deus noster per virum, Christum, & Fœminam, eius Augustissimam Matrem, mortales in terris à supremo bonorum omnium datore omni bonorũ genere Clementissimi Parentis affectu, pleno copiæ cornu, locupletandos; vt sicut hominis lapsui sexus vterq; cooperabatur ad omnis boni amissionem: sic vterque allaboraret ad iacturæ veteris restaurationem: *Sicut Eua inobediens facta*, inquit S. Irenæus Martyr, *& sibi, & vniuerso generi humano caussa facta est mortis; sic & Maria, habens prædestinatũ virum, tamen Virgo obediens, & sibi, & vniuerso generi humano facta est caussa salutis. Illa per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc iussa est obedire Deo, vt Virginis Eua Virgo Maria fieret Aduocata. Et quemadmodum morti adstrictum est genus humanum per Virginem, soluatur per Virginem,*

Vide Benedict. Ariam in suo apparatu, & Galatinum de Arcanis l. 5

Lib. 3. aduersus hæreses. Maria reparatrix damnorum, quæ per Euam sunt illata. Maria Euæ Aduocata.

num, æqua lance disposita Virginali inobedientia per obedientiam Virginalem. Hæc Apostolorum temporibus vicinus Martyr, qui Virginem nostram veram Euam, cum Adam secundo, Filio suo, humani generis nominat Reparatricem. Perdidit nobis Eua illa æterna & temporaria, spiritualia simul & corporea bona, & mille vtriusq; sexus miserias humanæ generationis massæ immiscuit, & subinuexit: vtrisque medelam attulit malis altera hæc Eua nostra, prioris illius iacturæ vindex & Recuperatrix. En tibi quotidiana in oculis experimenta.

Quòd si tu Virgineæ laudis inuide ac virulente obtrectator, qui tantũ Deiparæ honorem non faues, vt per eam suis nos Deus muneribus locupletet; si Propitiatricem per Filium suum, Dominum Iesum Christum, eã salutari æquis auribus non toleras, obsecro te, mi homo, terræ fili, liuentes ac turbidos oculos conijce in noua isthæc & quotidiana, immò & hodierna, siue Miraculosa beneficia, siue benefica Miracula, per quę ad gratiosissimæ Matris interuentum Filius etiamnum hodierno die afflictorum, & quauis clade aut calamitate oppressorum votis quàm saluberrimè correspondet; quin etiam vel manibus ipsam veritatem palpando, mentem tuam reuoca ab errore; ac tantam potius humani generis Patronam cum Nazianzeno Gregorio lubens volensq; saluta:

In carmine de Christo patiente.

Salue Puella, gratiosa Mater,
Virgo omnium castissima, & pulcherrima,
Exercitibus præstantior cælestibus,
Regina mundi, gaudium mortalibus,
Semper benignam te exhibe quæso hominibus,
Mihiq; sis salus vbique maxima.

Ordo seruatus in hoc libro.

Disquisitio singulorũ.

Et tu, ô quisquis es, lector, qui Virginis nostræ Beneficijs raperis ad extollendam diuinę in ea benignitatis copiam & liberalitatem, scito, non alium abs me seruatum hoc in libro ordinem expositionis virginalium fauorum, quàm Actuaria domus VVeyerensis continebant. Quibus tamen solis haud acquiescens, qui abs me coram arbitris ac testibus publicę authoritatis nomine audiri commodè poterant, an sicut in tabulas redacta erant, ita se haberent, legitimè disquisiui: reliqua alijs, in authoritate siue politica, siue Ecclesiastica dignitate constitutis, excutienda commisi, id vnum curans, vt puram & solidam, & omnibus enucleatam inuolucris acciperem veritatem. Innumeras propemodum, fateor, sed prudens sciensque omisi circumstantias, Parthenia benefici aillustribus non rarò additamentis exaggerantes: nec enim veritas indiget verborum floribus, & phaleratis Oratoriæ facundiæ ornamentis.

Res ipsas venamur; ad rem igitur propius pedem feramus.

CAPVT II.

INSANABILI ERISIPELATIS VREDINE, capite, vultu, corpore, membris omnibus laborans consanescit.

MOrbus est inter alios, quo humana persæpe corpora sæuissimè infestantur, ἐρισίπελας à Galeno nuncupatus:

Languida quo multo terrentur membra calore.

Lib. 1. de differentia morborum. *Lucret.* *Erisipelatis morbus.*

Nascitur è sanguinis à flaua bile accensi nimia inflammatione, febres non rarò, aliaque mille incommoda, periculaque suo secum in comitatu adducens; diuturno cum primis ardore membrorum vigorem depascente, vitaliumque spirituum consistentiam hebetante. Inuaserat is Kunegundam Aygenhulerin Holueldensis ciuis optimi Filiam; In capite, auribus, oculis, ac vultu non solùm, sed & toto corpore ac membris omnibus, incredibili æstu summos dolores consciscens, & quidem sine vlla, vel subcisiuæ quietis interpositione Durabat malum non paucis, vt quandoque solet, diebus; sed multis hebdomadibus; quinimo & mẽsibus. remedia vsurpata cruciatum non minuebant, sed magis magisq; acuebãt: dixisses flammis oleum admisceri: accedebant febriles molestiæ, & quæ ex illis progigni solent, difficultates non paucæ. augebat variorum morborum accessiones tanta capitis ac cerebri afflictio, vt insania non procul abesset; quinimo de vita eius iam ita conclamatum erat, vt & spes omnis longioris vitæ irrita, & media planè inutilia omnium iudicio existimarentur.

Aggrauatio morbi multiplex.

Instinctus bonus à bono Angelo.

Deseritur ægra ab humana ope, non tamen à spe diuini atque superni auxilij: sentit namque iam iam agonizaturiens, interno quodam instinctu se rapi, & perurgeri, vt ad Deiparæ VVeyerensis tutelam protinus accurrat, ibique malo suo releuamen & iuuamen expostulet. non renuit, non tergiuersatur; fidenter Virginis opem flagitat, votoque se ei dicat, & alligat. euentum audi & obstupesce. hora non elabitur; & ecce vredo omnis euanescit, membra maiorem in modum inflammata pariter & inflata detumescunt, diu extinctus vigor reuiuiscit, ægrota surgit è lecto sana, & sine mora in tanti beneficij gratam memoriam properat VVeyeram, vt sanatrici votum persoluat, cuius præsentissimum subsidium in tanta salutis desperatione præter omnem expectationem tam facilè persensisset. Appulit ergo non sine spectabili comitatu in ipso Diui Henrici Confessoris, Patroni & Fundatoris Ecclesiæ Bamber-

gensis festiuitate, quæ in 13. Mensis Iulij diem quotannis incidit, promissa expleuit, solenniq; attestatione beneficio sibi diuinitus per Virginem loci Præsidem concesso publicam fidem authoritate publica procurauit.

Anno 1617. 13. Iulij.

Quidquid hic admordeant honoris tui Sorices, ô Famosissima humani generis benefactrix, nobis mens eadem, animus idem, qui fido quondam Clienti ac seruo tuo Ruperto: *De hoc mundo translata, atq; ad athereum thalamum assumpta, electa es vt sol; electa inquam nobis quia sicut ex te natum DEI Filium, solem verum, solem æternum adoramus & colimus, vt Deum verum; Sic & te honoramus vt veri DEI Genitricem, scientes, quia totus honor impēsus Matri redundat in gloriam Filij, & quidquid boni nos voluit per Filium habere Cœlestis Pater, id Filius per Matrem in nos copiosè largissimequé effudit.* hæc ille nostra cum approbatione; non equidem sine fastidio & nausea hæreticorum.

Rupert. Tuitiensis lib. 6. in Cantic.

CAPVT III.

PVELLA ISCHIADICIS DOLORIBVS multo tempore confecta, & progressiui motus facultate priuata restituitur.

NON *omnia possumus omnes*: Excellit hic Medicus in vnius speciei morbo felicissimè curando; alius in alio medica ope subleuando; Vix vllus, nec ipse quidem Æsculapius vniuersis præualet, quotquot humana imbecillitas affligitur, nociuis symptomatibus propulsandis. Quid porrò Diuina hæc nostra & cœlestis Archiatra, humanarum calamitatum peritissima Medicatrix? quid inquam? an mali quodpiam genus est in hac ærumnarum & miseriarum valle, quod sphæram Actiuitatis eius Opitulatoriæ, vt cum Philosophis loqui non pigeat, vel minutulo lineæ spaciolo transcendat? Nemo id sibi persuadeat, experientia quotidiana contrarium euincente. In promptu ecce nouum ac recens, immò adhuc spirans ac viuum Exemplum.

Maria Archiatra generalis omniũ humani generis malorum.

Margaretha Agenhulerina, & ipsa Holueldensi oppido oriunda, alterius iam memoratæ Germana soror, Ischidis, & Coxendicum doloribus, laterumque atque crurium torminibus multis mensibus horrendissimè excruciata, eò tandem miseriarum deuenit, vt neruis articulorum omni vigore exhaustis, ac venis arescentibus, omnem pedũ

ac tibiarum standi ambulandique vsum amitterer, velut inferiori Corporis parte emortua, doloris lectulo longissimo tempore affixa. Quid nō tentauere Parentes, vt miserrimæ Filiæ calamitatibus, quà lenimen, quà remedium exquireretur? inuentum applicaretur, eoque pernicies diuturna, quæ necē ill:tura prop. diē putabatur, omninò fugaretur? nec mirū: Cicero ait: *Parētibus natura nihil iu: undius, nihil carius dedit, quàm liberos, in quibus rectè curandis omnis eorum diligentia, indulgentiaque consumatur*. Et alibi: *Non est boni, neque liberalis Parentis, quem procrearit & educarit; eum in graui necessitate desertum Paterna ope destituere*. Et ita res habet. Nec verò passi sunt Parentes istius Puellæ in officio suo quidquam desiderari, nec labori, nec sumptibus, pro facultatū mediocritate parcentes, vt doloribus & morborum miserijs grauissimè oppressam subleuarent. Sed quo profectu? nullo: malum in deteriora indies vergebat. Vt tandem sanitatis, & recuperandæ incolumitatis spes omnis ad desperationis laqueum duceretur.

Parentum amor in Filios.

Act. 3. in Verrem.

Lib. 5. de Oratore.

Aliam ergo, suggesto Cœlitus consilio, iuuandi Filiam rationem ineunt, votiuam peregrinationem pro ægrota Deiparæ VVeyerensi pollicentur; Idem vt Filia faxit, obnixè monent. O celerem Numinis opem, ad Matris Virginis interpellationem. Eadem hora primùm Ischiadici dolores cum tibiarum puncturis & cruciatibus acrimoniam veterem remittunt; post pauxilium temporis omninò euanescunt. Insequenti nocte Coxendices firmātur, & neruorum tendinumque vigor emollitur, vt insequenti die contracta Puella denuò veluti ambulaturiens Pupulus, gressus ponere, pedes figere, ac firmare condiscat, ac paucos intra dies omninò reualescat. Inde beneficij haud immemor, nec sine spectatis accepti à Virgine beneficij testibus, cum priori illa, quam diximus, sacram Basilicam inuisit, actisque gratijs, & vbique passim deprædicata salutari Virginis inuocatione, integerrimè salua ad Patrios lares remeauit. *O inæstimabilis laus* MARIAE, lubeat cum Sancto Ioanne Chrysostomo exclamare; *Neminem à bonis excludere, quæ vnquam dignatus est* DEVS *humano generi per Filium conferre*. quid ringeris malesane hæretice, & hanc eius laudem conaris extinguere? Vt cancer leporem capit: sic tu scopum tuum assequeris.

CAPVT IV.

MANVVM PEDVMQVE CONTRACTVRA DIV MOlestatus, & membrorum vsu priuatus, releuatur.

FIT *in prælio*, quod olim Cicero sapiēter admonebat, *vt ignauus miles, ac timidus, si simul ac viderit hostem, abiecto scuto fugiat, ob eamque caussam pereat nonnunquam integro etiam corpore, cùm ei, qui steterit, nihil tale euenerit: sic qui doloris cuiusdam speciem ferre non possunt, abijciunt se, atque ita afflicti & exanimati iacent: qui autem restiterint, numinis ope ac præsidio fulti, sæpenumerò superiores discedunt*: tam scitè, quàm verè dictum.

Lib 2. Tusc. quæstionum.

Experimentum capio in Ioanne Bauer, Ciue Bambergensi, laneorum ac villosorum pannorum Tonsore; Is enim acerrimis, diu multumque conflictatus Cephaleæ doloribus, primum ad omnem propemodum oculi ictum Scotomaticus incredibili Vertiginis molestia torquebatur. Exinde tandem cruciatibus Capitis maiorem in modum exaugescentibus, manuum pedumque, immò & membrorum omnium torpor, ac stupor. nec manum ori admouere, minùs vertice tenus attollere, nec pedes ad gressum leuare, & figere aut firmare poterat. Insecuta tandem omnimoda Contractura hominem totum opificio assueto inutilem reddidit: Magni beneficij loco reponebat, si subalaribus fulcris vtrinque nixo claudicando, cespitandoque, vel ad vnum alterumve cubitum à lectulo ægra vestigia dimouere daretur. Durabat malum longo tempore, non deerant pharmaca, non lituræ, non frictiones, non vncturæ, non sudorifera Catapotia. Sed omnia casso & inani effectu applicata. Spes nulla supererat in ope humana.

Morbum aggrauantia symptomata.

Quid tum verò? an animo concidit? an spem in superos despondit? an fiduciam in Diuos, immò & Diuorum omnium Diuam pusillanimiter abiecit? absit, absit à tam pio & Christiano pectore. quin eam potiùs erexit, & in tela ictusque Calamitatis istius audentior iuit. Nam in primis ad Deum toto Corde versus, paternam eius Castigationem gratanti animo excepit, gratias egit, & amore Deiparæ Virginis, per Filium eius CHRISTVM IESVM, Cœleste auxilium instanter efflagitauit. Differebat id quidem aliquantisper, non vt negaret, sed vt commodiori opportunitate, ad maiorem Nominis sui, & Diuorum honorem, quod postulabatur, concederet & impertiret.

Spei in Deū ac Diuos firmitas quid possit.

Sentit itaque internum quemdam, & haud dubiè Cœlitus delapsum boni Angeli motum, & instinctum; Si sanitatem & membrorum suo-

Suggestio boni Angeli.

rum vsum redintegrari velit, opus esse, vt gloriosa humani generis Aduocata, quæ in sacra VVeyerensi æde percelebris est, suum apud Filium iuuamen interponat, & sic petitis potiturum. Paret itaque sanitatis percupidus, votiuum donarium cum profectione ad sacram Aedem Virginis pollicetur. Ecce tibi promptitudinem Cœlestis nostræ opitulatricis. Ea ipsa hora notat rigentes membrorum & articulorum neruos sensibiliter quodammodò resolui, & laxari, vt exiguo post tempore, & pedes & manus officio suo probè fungi auspicarentur. Primo itaq; tempore VVeyeram inuisit, & Virgini benefactrici condebita gratiarum munia exoluit.

Anno 1617 18. Iulij.

Quid nos vnà cum illo? *Si Deum in sanctis suis*, inquit S. Hieronymus, *laudare iubemur, multò magis in* MARIA *dignis Deo debemus iubilare præconijs: Nulli enim dubium, quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ fuerit impensum.*

Epist. ad Paulam & Eustoch. de Assumpt. Virginis.

CAPVT V.

PARVVLAE CVIVSDAM FILIOLAE INCESSANTER EIULANTES IAM PER ANNOS ALIQUOT, À FLETU CESSANT.

Simile.

QVAE natura sunt amara his, admixtis quibusdam dulcibus, gratiam addimus: id nobis itidem vsitatum, cùm in necessitatibus nostris ad verè dulcem Misericordiæ Matrem confugimus: *Nam Spiritus*, inquit, *meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauum.* Heus tu, ô miser huius terrenæ peregrinationis exul, calamitatibus humanis amaricate: *Mel inuenisti? Comede, quod sufficit tibi. Comede, Fili mi, mel: quia bonum est & fauum dulcissimum gutturi tuo*; hortor & moneo cum Salomone; *habebis spem, & spes tua non peribit.* quid dubitas? quid cunctaris? quid hæsitas? quem vnquam Fons hic melleæ dulcedinis misericordiæ expertem à se repulit? neminem prorsus abijcit, omnes admittit, clementiæ suæ benignitatisque copiam abundanter omnibus administrat.

Eccl. 24

Prou. 25
Prou. 24

Robur addit verbo Ioannes Rauh, Trubenhochstadensis Inquilinus. Erant ei Filiolæ duæ, sexennis vna, septennis altera. Vtraque alioqui sana, corpulenta, pro ætatula tantilla satis robusta, sine omni corporis, vt videre erat, defectu: nec cibum fastidiebant, nec potum. Vnicum porrò malum restabat, quòd Parentes supra modum omnem vehementissimè affligebat: Nam vtraq; interdiu, noctuque, nulla occasione data, non irritata, non contristata, non læsa, sine omni caussa, incessanter flens, eiulans, & plorans, non solùm Parentes, sed & domesticos, & vicinos inquietabat. Rumor iam increbuerat apud vulgus, esse cambiones, & subdititios, à

Morbus vulgo incognitus.

malo

malo genio quodam pro veris Filiabus suppositos. Quidam autumabant, eas à malo quodam genio possideri, atque ad continuas illas lachrymas agitari. Quidam veneficijs malum istud adscribebant. Alij Cholericam, vel potiùs extremè Melancholicam complexionem vtriusque incusabant; quot capita & linguæ, tot cadebant sententiæ. Nos ista non moramur, genuina caussa Parentibus occulta erat: sed & me latet. Illud sanè liquet, Crucem tam diuturnam Parentibus supra modum grauem, ac peracerbam extitisse, cùm tot annorum spacijs, tot remedia passim conquisita, sine omni fructu & frustra adhibuissent, & nec blanditijs, nec lenocinijs, nec verbis minacibus, nec verberibus, nec flagris vnquam pepercissent, vt flendi Cacoêthen abolerent. Tempus iam è vicino præ foribus erat, quo Numen illud æternum, sine cuius nutu & prouidentia ne pilus quidem capiti tuo subtrahi queat, afflictis hisce Parentibus è difficultate ista emergendi, per gloriosæ Virginis interuentum, ianuam reseraturiebat. Conspirant itaque, & mutuo consensu, votoque Paruulas ad sacrum Deiparæ VVeyerensis Domicilium adducere decernunt. O Prodigium! ô subitaneum Virginis Matris auxilium! Eodem, quo DEI Mater votum accipit, momento Paruulæ omninò cessant à fletu, mitigantur, sedantur, mansuefiunt, vt quantò antea in veteri illa morositate intolerabiliores erant, ob continuos singultus, gemitus, eiulatus, tantò nunc omnibus, ob morum facilitaté, ob vultus serenitatem, sint chariores; Parentibus verò cum primis, qui vota implentes, beneficium grata laudis diuinæ vicissitudine rependerunt. Fecerint equidem, quod per facultates licuerit; *Quidquid tamen*, teste S. Hieronymo, *humanis dici potest verbis, minus est à laude Cœli, quia diuinis est, & Angelicis excellentibus prædicata encomijs, cùm ab Archangelo gratia plena est salutata: Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus, vt esset gratia pl. na, quæ dedit Cœlis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam.*

> Variæ de iugiter flentibus paruulis opiniones. 1. 2. 3. 4.

> Anno 1617. 18. Iulij.

> Epist. 1 ad Paulam & Eustoch. de Assumpt. Virgin.

Quid ad ista Cornupetæ Marianorum Priuilegiorum Euentilatores? Classicum licèt intonent: nos obstreperos illorum clamores vel vnico reflatu dispergimus & dissipamus.

CAPVT VI.

PVERVLVS PRAECIPITI LAPSV E SVBLImi ruens, mortuus iacens longo tempore, tandem ad vitam reuocatur.

imile.

ROSA, Flos omnium gratissimus, & suauissimus, de spinis nascitur; sic magnum quandoque bonum è rebus asperis, ac tristibus, quas huius vitæ cursus, veluti torrens inundans, quasuis secum quisquilias rapit. Id si alibi, sanè in præsenti Dramate infallibi comprobatur experimento, vbi ab extremo, luctuosissimoque infortunio resultat ter maximum, præter humanam spem, & expectationem, miraculum omni posterorum memoria recolendum. expedio paucis, rei series sic habet.

Luctuosus infantuli casus.

Petrus Künig Trubenhochstadiensis Inquilinus Filium habebat bimulum, adhuc infantem; quem cùm vxor, domesticis occupata laboribus, aut fortè pecoribus pastum & saginam paraturiens, in altiori ac pensili loco nec fascijs inuolutum, nec ligaminibus vllis à casu munitum, futurorum improuida euentuum, deposuisset, is è somno experrectus, corpusculum hinc inde motitans, ad marginem vsque perreptando, capite prono ac præuio decidit in pauimentum, cranioque miserandum in modum conuulso, tum concusso, ac dissoluto, manante ex auribus, ore, naribus, oculis, alijsque vulneribus copiosissimo sanguine tandem expirauit. O funestum, ó luctuosum Parentibus spectaculum! Accurrunt domestici, euocantur vicini, adproperant, quotquot in vico domi erant, Parentibus interim mœroris tragœdiam dantibus, emortui Puerculi concussatum, luxatumque corpusculum è terra leuantibus, & Capitis lamentabilem obtritionem haud sine lachrymis spectantibus, atque vt sepulturæ traderetur, conuestientibus. Labuntur complures horæ, quas omnes ex amussim solis lamentationibus, & querelis Parentes absumunt.

Miraculi euidentia.

Tempus iam imminebat, vt in Cœmiterium asportaretur humandus. Et ecce, dum congregantur in funus prodituri, suggeritur vtrisque Parentibus, non humanitus (nemo enim id Consilij dederat) sed cœlitus, vt supplices fiant pro Filio Reginæ, Matri Misericordiæ, quæ solenni pietate in VVeyerensi domicilio culta, tam incredibilia, tam luculenta alijs beneficia à Domino nostro IESV CHRISTO supernè impetrasset. In genua itaque pariter coram omnibus procumbunt, Virginem inuocant, eius apud Filium piam interuentionem flagitant, suam sibi Prolem rediuiuam restitui deprecantes. Addunt annuæ peregrina-

tionis

tionis votum cum sacro donario ad Basilicam virginalem. *Misericordia est vicina miseriæ*, inquit Seneca; *habet enim aliquid, traxitquê ex ea, aut saltem habuit olim, traxitquê priùs, quàm se exterior aura spirare*; *vnde ad effectum miserendi promptior inuenitur*. Nouerat vtique Dei Mater, experientiaque didicerat, qua doloris acerbitate Parentes Filiorum acerbam inprimis mortem sanguinis impulsu prosequantur; & inde

Lib 2. de Clementia

Misericordia Dei Matris.

Non ignara mali miseris succurrere discit.

Proinde & istorum infortunatam vicem miserata non diu protelauit auxilium & succursum. adhuc orationi vacabant, & ecce tibi luridum nigrescentique pallore suffusum pueruli vultum rubescere, aperiri labia, dentes prominere, oculorum supercilia moueri ex angulis & hirquis, guttas instar lachrymarum erumpere, è sinibus & palpebrarum ciuitatibus irides & pupillas, non quasi præmortuas, sed natiuo cæruleoque colore viuidas emergere. Stupor & tremor præsentes, qui aderant, omnes & singulos corripiebat. Hærebant suspensi, alter alterum aspicientes, ignari quid subsecuturum? Tum ecce infantulus, & corporis totius tremore, & quasi animam iam denuò carni vnitam recepisset, & ploratu pariter, ac si iam primùm è matris vtero prodiens lucis huius vsuram auspicaretur, se vitæ compotem indicabat. sic

Pueri suscitatio prodigiosa.

Flebile principium melior fortuna secuta est.

Ouid. 7. Metam.

Dum Matris vitæ auspicijs vita redditur Infantulo, quem vita spoliauerat mors præcox & immatura. Prodigium vnum. Sed & alterum: Erigit se puer omninò sanus, absq; vllo doloris sensu aut signo, comedens ac bibens, remanentibus interim aliquantisper luxationum signis, quæ tamen & ipsa breui disparuerunt.

Mirandum alterum.

Quis hic Parentis vtriusque gaudium capiat, cùm se vix ipsi caperent? quis verbis exprimat, cùm animorum suorum sensa præ ineffabili cordis laxatione nec ipsi promere valerent? Omnium vna cum ipsis vox erat: Deo & Matri Iesv benedictæ laudes deprædicare, diuinæ bonitatis magnitudinem extollere, Miraculum euulgare.

Nec diuturnã traxere moram Parentes pueruli, sed tanto rediuiui beneficio læti 21. Mensis Iulij, Anni 1617. die baiulantes eum ad AEdem Virginis prouolarunt, & voto reddito gratias egerunt, atque in itu pariter & reditu tam luculentum Virginis honori sacrum Miraculum vniuersis occurrentibus enarrarunt.

Anno 1617. 21. Iulij.

Vos hic cõpello, Ministri Pseudo-euãgelici, qui huic nõ solũ tã claro, tam eminenti ad Virginis Mariæ inuocationem diuinitus patrato miraculo, sed & alijs eiusmodi non minùs luculentis alio modo præstitis beneficijs laruas vestras appenditis, & oppanditis, ne rectis, ne apertis

Apostrophe ad Ministros hæreticos.

aut æquis oculis ab inerti vulgo, quod vestris dementatum mendacijs in perniciosissimos errores præcipitatis, aspiciantur. Quemnam calumniæ fucum hic nobis obijcitis? Fortassè inquiunt, in animi deliquio iacebat puerulus, quem mortuum autumabant. Quid? in deliquio? tanto tempore tanto è casu? tanta in cerebri concussione? tanta in cranij diffractione? an non qui in deliquium, aut animi spasmum extra se rapiuntur, aut halitu, aut alio saltem signo vitæ præsentiam ostendunt? hic nihil omninò tale; quin potiùs omnia mortis indicia cum totius corpusculi frigore, ac rigore. Tam stupidi non erant aut bardi, qui cadauer iam sepulturæ mandandum à viuente & animato corpusculo non discreuissent.

Prima prædicantium calumnia

Alia noua Prædicantica, si placet, audite: Astuti Dæmonis Mariolatriam propagare, & hominum mentibus inserere cupientis opera factum est, vt aut puer ad vitam rediret, si mortuus erat: aut saltem spectantium oculos fascino præstrinxit, vt velut mortuus appareret. Hæc insulsus & ineptus quidam Ministellus pro concione, vt veritatem tot obfirmatam testibus, quam pernegare nequibat, fucatis saltem mendacijs eluderet, & nænijs scurrilibus obfuscaret. Verùm ex vngue leonem, ex auribus asinum prehendite. Quis vnquam sanæ mentis homo aut credidit, aut docuit, quod soli diuinæ competit Omnipotentiæ, mortuos inquam excitare Dæmones etiam posse? Et credit, & publicè docet hic Onocephalus Minister. O Helleboro & Anticyris dignum caput! hęccine veritas tua Euangelica? Et hoc tuum verbum Domini? O non verbum Domini, sed verbum semidoctuli Blateronis!

Altera calumnia.

Et illud festiuè lepidum ac periucundum auditu: Dæmonem sic oculos aspectantium fascinasse, vt puer mortuus appareret, eo tamen fine, vt cultum MARIAE hominibus persuaderet. O inconditum leporem! ô nimiùm insulsum & insipidum acroama! quis credet Diabolum vnquam ad Virginis istius honorem cultumque inducturum, à qua sibi caput contritum persensit? quam extremo persequitur odio? *cuius calcaneo insidiatur*? cuius honorem non fert, non tolerat, vbique per hæreticos administros suos eradicat? Hæc tamen & longè absurdiora credit, vt video, & vt credant, alijs persuadere nititur Cacadoxus iste, & impudens verbi Ministellus, Κυνὸς ὄμματ' ἔχων, quod Agamemnoni exprobrat Achilles, cùm ei caninam impudentiam obiectaret. Et ego te, mi vir, cum vniuersa praua cohorte tua Prædicantica Deiparæ Virginis cultum planè extinctum, & oppressum cupiente, vniceque neruis omnibus allaborante in rem vestram, cum hoc Ausonij dicterio abire iubeo & amando.

Excussio fascinationis Diabolicæ.

Gen. 3.

Canis oculos.

Quid

Quid stulti proprium? non posse & velle nocere.

An'on. in Bia sentent

Nos te, O Gloriosa hominum & Angelorum Regina, ô eximium decus ac lumen Catholicæ Ecclesiæ, quam vsque adeò spectabili miraculo nobilitasti, cum Illustrissimo Martyre Methodio, qui sub Decio & Valeriano pro CHRISTI fide sanguinem fundendo Martyrij coronam est indeptus, deuotè salutamus, & in te, ac per te Filij tui gloriosissimam Maiestatē omni honore & obsequio veneramur: *Benedicta tu celeberrima & desideratissima Tuū, Dei Genitrix, nomen diuinis benedictionibus & gratijs omni ex parte est refertum. Tu fidelium fax, tu infidelium illuminatrix, tu incircumscripti si quidem ita fas est loqui, circumscriptio, tu speciosissimi floris radix, tu Creatoris Mater, tu nutrix omnia nutrientis, tu cuncta continentis & comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui portat vniuersa, tu porta, per quam in carnem ingressus est DEVS, tu purificantis carbonis forceps, tu prægustus illius sinus, qui sinu suo omnia concludit, tu incomprehensibilis illius roris vellus, tu Bethlehemitica illa cisterna, quam velut vitæ resuscitationem David desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum mortalibus emanauit, tu propitiatorium, per quod DEVS humanam naturam indutus, mortalibus innotuit, tu impollutum illius indumentum, qui lumine, vt vestimento amicitur, tu Deo nullius alioquin indigo carnem, quam non habebat, dedisti, qua hac ratione Omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet verè appareret. Quid hoc illustrius? quidue sublimius? qui cœlum & terram implet, cuius præterea sunt omnia quæ mouentur atque subsistunt, is tui factus est indigus: Tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando non habebat, DEO mutuam dedisti, tu potentem illum corpore tanquam decenti quadam Panoplia induisti, per quam quidem facilè à me caperetur & cerneretur. Ego verò tutum ac commodum ad illum accessum haberem, tu nobis es illa, per quam omnia à nobis mala fugantur, per quam bona omnia diuite copia nobis communicantur. Euge, euge Mater DEI & Ancilla, Euge, euge, qui debitorem illum habes, qui omnibus mutuò dat: DEO namque omnia vniuersi debemus, tibi verò & illud debemus, quòd per te Deum habemus, & quòd per te vniuersa, quæ accepimus, vnà cum DEO possidemus, quæ quidem omnia per te in Deum iterum transfundimus, vt boni omnis fontem & auctorem. Salue ô Arca animata nostri Creatoris ac legislatoris Dei; salue cœlum verè comprehensibile, salue dilectionis DEI Thesaure, salue humanitatis Filij fons, salue vmbraculum diuinitatis, salue Gazophilacium omnigenorum DEI nostri beneficiorum.* Hæc celeberrimus

Orat. in Hypapantem Domini.

ille

ille Martyr in laudem Thaumaturgæ nostræ quæ puerulum, quem diximus, vita functum ad vitam reuocauit. Qui tuis ergo. ô DEI Genitrix, laudibus mala volunt, confundantur & erubescant, dummodò ne pessum eant, sed conuertantur & viuant. Vocamur ad alia.

CAPVT VII.

ANNO IN TECRO LETHALITER E febri quotidiana decumbens reualescit.

Plin lib. S. cap. vlt. Mala sua homo non præuidet.

FAteri cogimur, quod Plinium dixisse memini: *Sol, Luna, stellæ, mare, terra, arbores, herbæ, bruta, & in his apes, formicæ, conchæ, & denique lucernæ tempestatem præsentiunt. Solus homo mala sua nec prospicit, nec præuidet, aut præuidere potest.* Quotus enim quisque est, cui constet, quid serus vesper vehat? Id euenit Euchario Mahlero, Cronacensi ciui, qui cùm in omni vita prosperrima semper valetudine vsus esset, non credebat tam facilè, tam graui morbo sese oppressum iri: Nam dum tale nihil metueret, lethali planè & Amphimerina per integrum annum febri inuaditur, opprimitur, lecto affigitur, sine vllius febrilium inuasionum & Paroxismorum inducijs. Secutus inde Marasmus accessiones morbi magis magisque augebat, & carne omni vsque ad ossa & pellem absumpta, natiuum calorem omninò ita prostrauerat, vt nullis adhibitis medicinis vigori pristino reddi posset, quin immò de malo in peius atque exitium omnia vergere videbantur, vt ipse adeò ægrotus spem omnem vitæ vlterioris planè abijceret. Exquirebantur remedia, quæ alijs in simili morbi genere salubrem attulerant medicinam, sed hic omni virtute cassa inaniter applicabantur. Quò vlteriùs mentis cogitationes conuerteret, non apparebat; Fato itaque, diuinæque prouidentiæ subscribendum ratus, se totum superis resignauit, siue ad mortem, siue ad vlteriorem vitam, quod dici solet, ad vtrumque paratus.

Visio imaginaria ægroto ostensa.

Iam virium corporis destitutio ad restim, atque ad Triarios, vt vulgò dici solet, redacta erat; cùm ecce suauiusculè indormiscenti recuperandæ sanitatis medium à bono haud dubiè genio tutelari, quasi per somnium indicatur. Repræsentatio illa, siue visio talis erat: Videbatur sibi in sacra AEde VVeyerensi sacro Missæ officio interesse, Virginique Matri pro sanitate instauranda integra mentis effusione supplicare. Cui Virgo imperaret, vt ad sacram Synaxin se ritè disponeret, qua percepta, fore, vt voti compos fiat. Quamprimùm igitur ad se rediens euigilabat, & indagine

gine altiori rem pensitabat, facilè intellexit, diuinum è cœlo suggestum medium, quo in exilium pulsa, ac solum vertere iussa sanitas veteri hospitio redderetur. Vouet itaque peregrinationem ad Basilicam Virginis, & simul Eucharistiæ perceptionem pollicetur, vbi primùm per vires liceat. O citum, ô præproperum à Virgine procuratum auxilium! Ea ipsa hora deseritur à febri, cessant capitis dolores, Marasmus per omnia corporis membra se subducit. Et tridui spacio integra virium corporis sanitas in veteri sede, maiori posthac securitate fruiturus, post debitam voti persolutionem collocatur.

Adstipulor equidem legi diuinæ: *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia*; Non abnuo verbum Sapientis: *Vbi multa somnia, ibi plurima vanitates*; eius quoque cautelam obseruatu dignissimam iudico: *Nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in eis cor tuum: Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*: Nam vt experientia persæpè docuit:

Lenit. 19. Eccl. 5. Eccl. 34.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte:
Et pauidas mentes falsa timere iubent;

Tibull lib. Eleg 4.

Immò & deceptas falsa quandoque sperare: Nihilominus tamen somnia nonnunquam à DEO per sanctos Angelos immitti, Exemplis Abimelechi, Iacobi, Iosephi, Pharaonis, Esdræ, Mardochæi, Nabuchodonosor & aliorum edocemur. Tale & illud erat, quod noster iste Virginis cliens habuit, quando somnij monitu certum ratumque sanitatis medium exquisiuit, & bono suo quammaximo inuenit & vsurpauit.

Gen 20. Gen 28. Gen 37. Gen 41. 4 Esdr. 11. Dan 7.

CAPVT VIII.

OCVLORVM VSV DESTITVTA FOEMINA, voto Deiparæ, ac Diuis quatuordecim Martyribus nuncupato, eundem recuperat.

QVis vnquam, interrogat S. Anselmus, *fiducia sua archoram in Filij tui merito defigens, & in misericordia tua, ô benignissima Mater, confidens, insperatam passus est repulsam?* & prorsus ita res habet: Exemplo id comprobat Magdalena Crafftina ciuis Cronacensis: huic enormiter atrocissimo compluriũ mensium capitis dolore oculi omninò perierãt, vt nec vel minimi splendoris, aut luminis alicuius reliquiæ superessent. Adhibitæ porrò variæ passim apud rerum medicarum peritos medelæ in vanum penitus, & irritum ceciderc. nec id mirum: coràm malum inspectanti prorsus immedicabile poterat videri. Nam condensiores Phlyctænæ, argemata, & epiphoræ morsicantes vtramque pupillam pterygijs subob-

In Meditationibus.

Vitia & defectus oculorum.

scuris & caliginosis eum in modum obduxerant, vt è cremijs & lemis perpetim subnascentibus ægilopes & fistulæ permolesta continuaque lippitudine deriuarentur. Dolor exinde profluens incredibilis erat. Ophthalmici, quos ab oculorum curatela, Oculistas vulgò nominant, Chirurgi malum penitùs desperatum iudicabant. Quid misera omni humana ope ad miseriæ cumulum destituta? diuinæ tamen spei non omninò despondit: quin potiùs erecta in DEVM mente, voto Deiparæ Virgini VVeyerensi, & sanctis quatuordecim Martyribus, quos à præsenti, quod ab eorum intercessionibus frequentissimè impetratur, auxilio, quatuordecim Auxiliatores nominant, præconcepto, legitimeque dicato, hoc in se religionis & pietatis ergò officium recepit, vt vita sospite & superstite, vtramq;, tum illius, Martyrum Principissæ ac Reginæ, tum istorum sacram ædem piè deuoteque quotannis inuiseret, illud vnicum rogitans, vel aliquale tanti mali, dolorumque lenimen, si perfectum luminis vsum nequiret, impetraret.

Anno 1617. 24. Iulij.

Audijt tanta clade percussam & prostratam clientulam ad miserendum propensissima Virgo Mater; suam quoque adstipulationem coniũxêre implorati Martyres, quorum illa præpotens dignissimaque Imperatrix salutatur. Cessat illicò dolor; exiccantur biliosæ & acres, quas huc vsque patiebatur, defluxiones. Suboriebantur momentaneæ quædam luminis alicuius scintillationes, ita vt intra paucos dies depulsa omni cœcitate ex hora in horam meliùs & perspicaciùs etiam minutissima videret, donec depenso religiosissimè voto, Deo Diuisque pro tanto beneficio condignas grates persoluisset.

Mira luminis restitutio.

Contabescat hæreticus liuor Sanctorum pro viuentibus Patrocinia suffragiaque perfidè explodens. Nobis idem sensus, experientia eadem, quæ sancto Pontifici Leoni Magno iam ante mille, & complures annos, cuius hæc professio: *Sicut & nos experti sumus, & nostri probauêre Maiores, credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium Patronorum orationibus adiuuandos, vt quantũ proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis* (Adde inprimis Deiparæ Virginis, deindeque sanctorum Martyrum) *meritis & orationibus erigamur.*

Serm. 1. in natali Apost. Petri & Pauli.

Est autem, quod in gratiam lectoris huius patriæ imperiti obiter annotatum velim. Sãctorum quatuordecim Martyrum memoria percelebris in Franca valle sita, Staffelstenum oppidum exeuntibus, & haud procul à Mœni fluminis ripa Lichtenfelsum petentibus, à dextris versus meridiem, qua Langhemium nobile & famosum Cistertiensis instituti Monasterium, iter est, in collis præalti ad Septentrionem Banthense Benedi-

Basilica sanctorum XIV Martyrum Auxiliatorum per vetustis & recentibus miraculis clara.

ctino-

ctinorum Cœnobium ſpectantis ſupercilio, viatorum oculis incurrens. Claruit hic locus Langhemicæ ditioni ſubiectus iam à ſæculis aliquot varijs, vt annales perhibent, non ſolùm Chriſti & ſanctorum Martyrum apparitionibus; ſed & prægrandibus & ſtupendis eorundem Patronorum intercesſione, dum vota & religioſæ peregrinationes eò deſtinarentur, procuratis miraculis & prodigijs, quę ab eo tempore, quo Lutheri maleſana impietas omnem Diuis cultum & honorem abrogare contendit multò viuaciùs efflorescentia reuixerunt. Et vetera quidem à Maioribus noſtris iampridem typis euulgata in publicam lucem prodiêre. Nec dubitauerim Abbatem & Dominum loci, D. Petrum Schonfelderum ſacræ Theologiæ Doctorem Eximium, Ciſtertianæ familiæ decus ac lumen enixè curaturum, vt ad propudioſam & probroſam Hagiomachorum omnium confuſionem Neoterica priſcis ſuperaddita publicæ omnium notitiæ feliciter exponantur.

CAPVT IX.

FOEMINA ASTHMATIBVS ET PERIPNEVMONIA periclitans de vita, à diſcrimine protinus eripitur, & conſaneſcit.

DIuerſimodis humanæ ſortis calamitatibus & miſerijs multiplex & varia Miſericordiæ Angelorum Reginæ copia, & exuberans affluentia correſpondet. Idque recenti iam ſaxo probatum exemplo.

Iacobi Neupaueri, Cuprimontani ciuis vxor Anna ſubitaneis Cardialgiæ doloribus oppreſſa, extremis reſpirandi, anhelitumq; ducendi difficultatibus conflictabatur; hinc præfocatio quaſi momentanea, & acerrimę pleuritidis compunctiones; Nec aberāt ſuppurata Pulmonum Empyemata, & ne vix vnquam fallentia tabeficæ phthiſios argumenta. Vis mali vniuerſa, quæ adhibebantur, medicamenta ſic reſpuebat, vt de vita ægrotæ conclamatum eſſe paſsim omnes vnà cum marito dictitarent. At illa feruenti in Deum mente aſſurgens, conceptaque in Glorioſæ Virginis Matris præſidio ingenti fiducia votum detulit, nudis pedibus ſacram eius AEdem VVeyeranam inuiſendi, & ibi per ipſam Filium eius Deum, ac Dominum noſtrum feruentiſſimis diuinæ laudis encomijs vnà cum votiuo honorario dignè concelebrandi. Res admiranda, voto annuit Mater; Filius per Matrem expetitam afflictæ mulieri cœlitus confert, tranſmittitque ſalutem: Eadem enim hora Pulmonum tumor ſubſidit; faucium ſtrangulatio ceſſat, puncturæ

Phthiſis tabes plerumque incurabilis.

Anno 1617. die 26. Iulij.

laterum conquieſcunt; purulentæ ac fæculentæ excreationes deſiccãtur, deſiderata ſanitas priſtino domicilio nouis adaućta incrementis reſtituitur, in eoque hodierno etiamnum die ad diuturniorem poſſeſſionem pleno iure roboratur. I nunc, ô Hæretice Mariomaſtyx, & rufi Draconis, quo tuus ad nauſeam perſcatet ſtomachus, fel in Virginis inuocationem pertinaciter effunde: At nos cum Iacobo Apoſtolo & Fratre Domini Mariam impenſiſſimè ſalutamus: *AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui; quia ſaluatorem peperiſti animarum noſtrarum. dignum eſt, vt te verè beatam dicamus Deiparam, & omnibus modis irreprehenſam, & Matrem DEI noſtri honorabiliorem, quàm Cherubin, & glorioſiorem, quàm Seraphin, quæ ſine corruptione Deum verbum peperiſti: & veneratæ Deiparam magnificamus, tibi ô plena gratia vniuerſa creatura gratulatur Angelorum cœtus, & humanumque genus quæ es templum ſanctificatum, Paradiſus ſpiritualis Virginum gloria ex qua Deus carnem aſſumpſit, & puer factus eſt DEVS noſter, qui eſt ante ſæcula. Tuum enim vterum thronum fecit, & tuũ ventrem latiorem, ac ampliorem cœlis ipſis reddidit, te gratia & benignitate plenam effecit, humano generi aſylum & remedium ſuper Angelos exaltatam collocauit.* Meritò itaque, vt ilia crepent ántagoniſtis, ad Deum oramus cum ſancto Ioanne Chryſoſtomo Virginis patrocinium implorantes: *Dirige Domine viam noſtram & confirma nos in timore tuo omnes, cuſtodi vitam noſtram, diſpelle mala & calamitates noſtras, ſtabili greſſus noſtros precibus & ſupplicationibus ſanctæ Deiparæ, & ſemper Virginis MARIAE, & omnium ſanctorum.* Hæc Apoſtolus, hæc proximus Eccleſiæ Græcanicæ Doctor ad ſempiternam ignominiam omnium laudis Marianæ contradictorum.

In liturgia.

Apoſtolicũ Virginis Encomiũ.

In liturgia.

CAPVT X.

PVELLA OCVLIS CAPTA VIDENDI FACVLtate redonatur.

QVod modò verè genuinum enumeraturi ſumus miraculum, nó ſolùm coram publico tam Eccleſiaſtici, quàm politici ſtatus Magiſtratu & publici Tabellionis obſignatione, ſed & toto Steinacenſi oppido ſolenne teſtimonium acquiſiuit. AEgidius Erhardus ciuis & Victor eius, quod diximus, municipij Filiolam habebat, Margaretham nomine, quadrimulam ętate, cui è diuturna lippitudine, quam à matris vtero in huius lucis vſuram aſportauerat, oculorum tunicæ, pelliculæque diſſolutis humoribus, fœdo ſanè

&

& miſerando ſpectaculo, ſic penitus defluxerant, vt & pupillæ, non ſolùm inſueto quodam nigrore, Pterigium Chirurgici appellant, obfuſcarentur, ſed & omnem luminis vſum videndique facultatem ſolidè integreque amitterent. durauit malum, conſilij pariter & opis expers, multo tempore; nec erat humanitus remedium vllibi aut quærere, aut inuenire. Miſertus ergo calamitoſam Filiæ ſortem afflictus Pater, feruentiſſima in DEVM ſuſpiria, vt ipſe manum opitulatricem adhibere dignaretur, perdius ac pernox emittebat; nec infructuoſa; nam extimulante intrinſeco quodam diuini ſpiritus ac luminis afflatu, Deiparæ VVeyerenſi cæreo cum anathemate cæculam ſuam deuouet. Nec diu moras trahens, comitante vxore eam defert ad ſacram Virginis Baſilicam, germanico inde milliari benè longo diſtantē; traditaq; ardenti in manus Puellæ Candela, maiorē ad arā eius vtrinq; cingentes latera, vt voto dicatum munus pro luminū recuperatione feruentiſſimis eorum precibus coniunctum ſuiſmet manibus offerret. Peracto Cultu diuino, dum domum ſuam repetunt, en ſubitaneā, en inſperatam à DEO Virginis anniſu Cœlitus tranſmiſſam ſalutem. Inuſitatus antea Puellæ oculos pruritus, & veluti quædam titillatio afficit. Decidunt non ſine copia furfures quidam, & ſquamæ nigricantes, promicant paulatim pupillæ, purgantur oculi, & illuceſcunt pedetentim; integer tandem videndi vſus, quo etiamnum hodieque fruitur, non ſine cœleſti prodigio redintegratur.

Excæcatio puellæ.

Anno 1617 30. Iunij. Nota. Hóc & ſequens Virginis beneficiū coram Magiſtratu & tabellione, publicis etiā tabulis conſignata ſuperſunt.

Nos itaque, vt peſſimè tædeat, pigeatque Marianorum beneficiorum conuitiatores, vnà cum Parentibus Filiolæ perſanatæ ſancti Patris Auguſtini verbis adiutricem Diuam toto pectore, ſyncero corde, lubenti lingua, promptiſſimis labijs ſic inuocamus: *Quas tibi laudes, ô Beata* MARIA, *ô Fœmina ſuper fœminas benedicta, fragilitas humani generis perſoluat, quæ ſolo tuo commercio quacunque perdita recuperandi aditum inueniſti? Accipe itaque quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras orādo excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrariū exauditionis, & reporta nobis antidotū reconciliationis. Sit per te excuſabile quod per te ingerimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus quia tu es ſpes vnica peccatorum; per te ſperamus veniam peccatorum, & in te Beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Aſſiſte ergò parata votis poſcentium, & rependе omnibus optatum effectum. Sint tibi ſtudia, aſſiduè orare pro Populo* DEI, *quæ meruiſti benedicta Redemptorem ferre mundi.* Hæc nos eodem ſpiritu, conſimili affectu cum Clariſſimo Eccleſiæ Doctore Auguſtino. O quàm cruda ô quàm digeſtu comeſtuque difficilia verba ventriculo Caluiniano, aut aqualiculo Lutherano? at velint, nolint, quod DEVS, quod Eccleſia in corpore & mēbris Virgini fauent, quod vltrò attribuunt, pluma leuior hæreticorum authoritas nunquam in æternum caſſabit.

Serm. 7. de Annunciat. qui eſt 18. de Sanctis

Deuotiſſima virginalis Patrocinij imploratio

CAPVT XI.

ALTERO CRVRE ACERBISSIME EXCRVCIATVS, A doloribus & abjectione fit immunis.

ilıorum ılamitatı- us paretes udiuntur.

DIVINA disponente prouidentia in Filiorum calamitatibus, & infortunijs non rarò parentes, velut in triuiali quadam huius vitæ schola erudiuntur, vt in omni, quæ nutu Diuino ingruit, calamitate ad vera, quæ cœlitus offeruntur, præsidia confugere, & properare condiscant. Fateamur quod res est; Et ipsa hæc sors tetigit, cuius iam mẽtio facta, Aegidium Erhardum; Rei decursum expono, vt iuratus ille corã Politico, Ecclesiasticoq; Magistratu, præsente Notario, & testibus, integrè deposuit; & eius quoq; vicini, atq; cognati vnanimiter asseuerarũt.

Annus supra millesimum & sexcentesimum decimus septimus tum decurrebat, cùm circa Penthecostes Ferias supra quàm dici possit, truculentissimus sinistri cruris dolor sine omni prorsus interruptione, interdiu noctuque crudelissimè desæuiens, eum inopinatò aggreditur. Nec arthritidos, neque erisipelatis, aut Gonagræ, tametsi tale quid nonnulli subesse arbitrarentur, indicia vllibi apparebant: Morbus enim artis etiam Chirurgicæ peritis peregrinus & ignotus apparebat, nisi quòd nonnulli interiora medullarum depascentem Phagædenam esse suspicarentur. Consecuta demum periculosa tibiæ vsque ad Coxendices inflammatio, ne omninò pereundum foret, præcisionem totius membri iam iam minitabatur, & aliud nihil, quàm ab immiti sectoris manu nouaculam & serram operiebatur. Protinus ergo altissimi illius, *à quo omnis medicina creata est*, Archiatri, Numinis medelam implorat. Votum apponit, si vel pauxillum leuaminis obtingat, iturum se peditem ad sacram Deiparæ VVeyerensis Ecclesiam, & cum votiuo quopiam donario Christo Saluatori, & eius dignissimæ matri debita gratiarum munia persoluturum. Indormiscit exindè aliquantulum doloribus exhaustus, eiusmodi ad DEVM suspiria crebrò secum ruminans, animoque reuoluens. Et ecce, vbi primùm euigilasset, acutiores dolorũ puncturas euanuisse persentit; Surgit igitur è grabato, & baculo nixus gressum probat, & sat facilem post integri mensis decubitum experitur. Nec mora, spe animum lactante sacram versus Basilicam proficiscitur: vix quartam viæ partem confecerat, & ecce notabilis neruorum, ac tendinum remissio consecuta integerrimam deinceps sanitatem pollicetur. præstita demum voti solutione, dum domum remeare cogitat, alterum priori accumulat votum, exoptata nimirum gressus soliditate omninò recuperata, illicò redeundi, peractaq; in Vir-

Morbus incognitus.

Eccl 38.

ginali domicilio peccatorum Exomologesi, sacram Eucharistiam recipiendi: dum interim Stenaco appropinquat, eius, quod optauerat, sanitatis auctoramento ex amussim fit compos. abiecto igitur, quo nitebatur, scipione, incolumis per omnia gratulabundus ad suos reuertitur, acceptumque beneficium obuijs passim euulgat, atque ad benedicendum, vnà secum in Diua Adiutrice DEVM omnis boni fontem inflammat.

Anno 1617 30 Iulij.

Et nos ergo, qui hæc recenseri audiuimus, cùm B. Andrea Hierosolymitano, Cretensium Archiepiscopo, contestandi affectus nostri gratia Diuæ Benefactrici gratanter applaudimus: *Aue gratia plena, Dominus tecum. gaude omnis humanæ lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis sententia in lætum gaudij indicium commutatur. Gaude verè benedicta, gaude virgo præclarissima, gaude ornatissimum diuinæ gloriæ templum; Gaude sacrosanctum summi Regis palatium; Gaude thalame, in quo sibi* CHRISTVS *humanitatem sponsam adiunxit. Gaude electa à* DEO, *antequam genita; Gaude diuinum inter Deum atque homines conciliationis perfugium. Gaude thesaure vitæ immortalis; gaude Cœlum, in quo sol gloriæ splendet, domicilium Cœlo præstantius; Gaude vnicum illius, qui nusquam capitur, amplissimum habitaculum: Gaude sancta terra virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruet; Gaude fermentum sanctum, ac* DEO *gratum, ex quo totius generis humani massa fermentatur, & in vnius Corporis* CHRISTI *panem euadit; & admirabilitatione coagmentatur. Gaude gaudij mater sempiterni; Gaude nona Dei Arca, in qua* DEI *Spiritus conquiescit; Arca, in qua noster Noe* CHRISTVS *humanitatem seruauit. Arca, in qua noua gloria sanctificatio, & qui natura sanctus est, in Virgine, natura officina, corpus sibi ratione mirabili fabricatus est, non deponens, id quod erat: est enim immutabilis, sed assumens id quod non erat: est enim benignus, & hominum amantissimus. Gaude vrna aurea, quæ contines illum, qui dulce manna, & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude Seraphica mystici Carbonis ardentis forceps. Salue spiritalis præcognitionis perspicua speculum, per quod Propheta infinitam erga nos* DEI *submissionem mysticè vaticinati sunt. Gaude speculum, per quod Iustitiæ solem, venientem è Cœlo, suspicientes ij, qui tenebris in densis peccatis versabantur, illustrati sunt. Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium decus, & clarissima arcanæ præcognitionis humanæ tuba.* Quid vos ad hæc, ô liuidi Marianarum laudum insectatores? quid frustra solem obscurare, perfectæ in æternum Lunæ pulchritudinem suam adimere, & roseum auroræ ruborem, ac venustatē subtrahere molimini? quid? an sic Comici vestri, quem velut Sibyllæ volumen quodpiã à Iuuentute vestra suspici vultis, obliti estis, vt eius consiliũ omninò pedib' proculcetis? *Velle id, quod fieri nō potest,* inquit, *non est sapere.* Definite, obsecro, Reginæ nostræ istos honorum titulos inui-

Orat in Salutationem Angelicam.

Audi Hæretice: MARIA perfugium conciliationis inter Deum & homines.

Gen 7. Exodi 34.

Exodi 16. Hebr 9. Psalm 80. Isaie 6.

Terent. in Heauton-tim.

dere: Molare saxum natatui citiùs assuefeceritis, quàm vt hunc præconiorum MARIAE Fontem plenis ex ore Catholicæ Ecclesiæ Cataractis, atque Fluminibus perpetuò erumpentem alicubi obstruatis.

CAPVT XII.

PVERVLVS TRIENNIS PAPVLIS ET EPILEPSIA perductus ad extrema, redditur sanitati pariter & vitæ.

IOANNIS Iacobi Gossengrunensis Incolæ Filiolus trimulus exanthematibus, vnà cum Febrili vredine toto corpore, ac membris omnibus dirissimè torquebatur; accesserat grauius, ad singula propè momenta recurrens, Epilepsiæ malum. Animam verò iam agere videbatur miserculus, dum Parens, omnis alterius perfugij nescius, memorabilium Virginis beneficiorum desperatissimis etiam in rerum euentibus diuersimodè collatorum, bono haud dubiè genio inspirante, reminiscitur: ex qua cogitatione spiritum haurit, & audaciam eius quoque beneficentiam votiua quadam pollicitatione pro ægrotulo suo tentandi. Communicato igitur cum vxore consilio, peregrinationem ad sacram eius VVeyerensem Aedem decernit. O præsentissimam Numinis opem! papulosa illicò ecthymata, quæ se iam introrsum ad indubitatam vitæ perniciem subduxerant, toto certatim corpore foras erumpunt; sedatur Epilepsia, febrilis ardor sensibili defectione consopitur; Puerulus alacer cibum efflagitat, & viribus pro corpusculi quantitate integratus, è lectulo sine omni molestia consurgit.

Anno 1617. 2 Augusti.

Verissimè ergo S. Hieronymus: *Mors, & omne corporalium morborum genus per Euam: sanitas autem, & salus omnis per* MARIAM; *ibi defluebat culpa, & maledictio per Euam, hic redundat gratia, & vita per* MARIAM. Quin etiã cum S. Ephræm Syro, Patronam nostram, Euam, inquam, secundam, viuentium Matrem ardentissimo affectu concelebramus: *Nos te, O immaculata, & inculpata Filij tui, Deiq; omnium Mater, Pura, Integra, sacrosanctissima, desperantium Spes, damnandorum Fiducia, collaudamus, benedicimus tibi, omnes tibi aduoluimur, omnes te imploramus; Erue nos, ô Intemerata, à cunctis Diaboli tentationibus; Esto nostra Conciliatrix, & Aduocata in hora Iudicij: Libera nos à futuro igne & tenebris, & tui Filij gloria Virgo nos dignare: Tu namq; es spes apud* DEVM *Christianorum sanctissima, cui honor in sæcula sæculorum, Amen.*

Epist 22. de seruand. Virginib. ad Eustochium

In Threno & lamentatione Virginis in Parasceue

CAPVT XIII.

VTROQVE CRVRE ET BRACHIIS CONTRActus, maligna insuper febri extremè confectus vtrique malo subducitur.

VIrginalem Deiparæ Matris honorem Phœnici arbori, Palmam alioqui vocitant, similem esse, haud immeritò quis affirmarit: hæc enim quò magis vno in loco aut surculo premitur, tātò magis in altero efflorescit, & nouis augescens incrementis, in altum, latumque viridantes spatulas diffundit: sic quanto feruentiori studio Ministri hæretici gloriosæ Diuorum Reginæ laudes obscurare satagunt, tantò vberiùs eius præconia, & miraculosa beneficia vbique propagantur. Nobile exemplum est in promptu.

Honor Virginis instar Palmæ.

Illustris Domini Comitis Schvvartzenburgensis VVolffgangi Pincerna, Ioānes nomine, diuturnis Cephalalgię doloribus, & perniciosa vertigine tandem planè scotomaticus reddebatur; hinc brachiorum, & crurium inflammatissimi tumores, è quibus tandem eorundem membrorum torpor, & conuulsio planè apoplectica oriebatur, vt nec manus, nec pedes officio suo vel in re minima ritè fungerētur: Nec vnctiones, nec frictiones, nec balnea, aliave fomenta vel ad hilum proficiebant; omnia in cassum vsurpabantur. dum ecce suasu Heri sui, Illustris Domini Comitis, viri Catholicissimi profectionem votiuam ad sacrā Deiparæ VVeyerēsis domū spondet, & pollicetur. Nec incassum; ex illa etenim hora rigor membrorum emollescit, motus spirituum vitalium reuiuiscit, & paucos intra dies membrorum vsus, stupente tota Comitis Familia, redintegratur.

Cephalalgię morbus cū vertigine.

Decuisset equidem tanto beneficio à Diua benefactrice adeò eximiè condecoratum grata mentis vicissitudine solertissimè respondere: verùm quæ nostra est in ijs, quæ Deo, Diuisq; spopondimus, exequēdis siue negligentia, siue tarditas, quod proposuerat, diutiusculè protelat. Instat ergo monitor Deus, auremque vellicat, vt religionis debitæ haud immemor, gratitudinis penso ritè persoluto, conscientiā exoneret. acutissima igitur, planeque pestifera tabificaque febricula corripitur, & à Medico de longiori eius vita omninò desperatur. quid ageret consilij anceps, & dubius? Iterumne ad Deiparæ Matris subsidia confugeret? pristina ingratitudo scrupulum inijciebat; nihilominus tamen intimo cordis dolore

Votum non soluentis castigatio.

Anno 1617. 15. Augusti, in festo Assumptionis Deiparæ.

pristinam deplorans neglīgētiam, intermissum renouat votum, serioque proponit, quamprimum per vires id liceat, sedulò adimplere. Nec reijcitur à mitissima Virgine, sed protinus exauditur. Cessat febrilis languor, reuertitur sanitas; in pedes ille se conijcit, & bona Domini Comitis venia ad Virginalem Basilicam properat, votique debito cum promerita gratiarum actione seipsum exoluit.

Serm 2 de Assumpt. Virginis.

Cantic. 6.

Quis ergo prohibeat, quin hoc in loco cum Innocentio tertio Pontifice in Reginæ Auxiliatricis nostræ Encomia erumpamus, vnanimiterq; deprędicemus: *Ipsa est aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt Castrorum acies ordinata. Luna lucet in nocte; aurora in diluculo, sol in die. nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte Culpa, respiciat lunam, deprecetur MARIAM, vt ipsa per Filium cor eius ad compunctionem illustret. quis enim de nocte inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? ipsa est Mater pulchra dilectionis, & sancta spei. qui verò ad diluculum Pœnitentia resurgit, respiciat auroram, deprecetur MARIAM, vt ipsa per Filium cor eius ad satisfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? ipsa est Mater pulchra dilectionis, & sancta spei. quia verò militia est vita hominis super terram (Nam mundus positus est in maligno; caro concupiscit aduersus spiritum, oculus depradatur animam, mors ingreditur per fenestras: nec est nobis colluctatio tantùm aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus, aduersus rectorem tenebrarum harum Aduersarius enim noster Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret) quicunque sentit impugnationem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à Dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur MARIAM, vt ipsa per Filium mittat auxilium de sancto, & de Sion tueatur: Nam in Filio, & per Filium omnia potest, omnia, valet; & in illa quoq; quæ humanis viribus impossibilia videntur.* Egregia sanè commendatio Patrocinij virginalis; quam an æquis auribus Antagonistæ sint accepturi, vix mihi sinam persuaderi. Id quidem nostra nil refert; dispereant licèt, quibus laus omnis impertita Virgini est trabs in oculis, telum in vulnere, gladius in corde.

CAPVT

CAPVT XIV.

PVELLA E FEBRI PESTIFERA PERICVLOsè decumbens, & iam animam agens, vitæ vsuram recipit.

CAtharina Gantzlerina, honestorum Ciuium Bambergensium Filia, Cephalęę doloribus grauiter afflictata mensibus aliquot, accedente tandem febri, quam vocant pestilentialem, eò miseriarum deuenit, vt sine sensu ac motu, sine loquela, sine cibo, & potu propemodum exanimis iacens iam iam spiritum exhalatura videretur. Parentes igitur pro natæ, quam vnicè diligebant, salute anxij, ad gloriosæ Virginis præsidia sese recipientes, eius VVeyerensi memoriæ dupondij Cęreum votiuis cum precibus obita eò peregrinatione sacrarunt. Vix votũ ore deprompserant, & ecce moribunda Filia in se reuertitur, oculos aperit, linguam in verba resoluit: iussam se à Benedicta Virgine MARIA, sibi per visum apparente, ad vitam redire, atque vt perfectum virium robur, integramque sanitatem indipiscatur, ad sacram eius VVeyerensem aram Cæreum dupondij Votiui muneris loco offerre. Quis hic Parentum gaudium verbis explicet, cùm inaudissent, votum pro Filia datum tàm promptè à Dei Matre benignissima exoptatissimo cum effectu exauditum? Conualescit interim Filia paucos intra dies, vt itineri faciendo non inidonea crederetur. Explent igitur promissa, Deo Virginique grates debitas dependunt, & Filiam prorsus incolumem, atque adhuc superstitem in Patriam reducunt.

Apparitio Virginis Mariæ.

Anno 1617. 15. Augusti, in Festo Assumptionis.

Verè Maris stellam Mariam, exclamemus, & meritò cum Sancto Bernardo; *MARIAE etenim nomen interpretatum Maris stellam in periculosa vita huius nauigatione, in omni afflictione & impendenti periculo respiciendam nobis repræsentat. Ipsa namque aptissimè syderi comparatur: quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit Filium; Nec syderis radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem: ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat; cuius splendor & præfulget in supernis, & Inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens etiam magis mentes, quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia, ipsa inquam est præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spaciosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore hu-*

Hom. 2. de laudib. Virginis super Missus est.

Maria cur stella?

Cur Maris stella?

ius syderis, si non vis obrui procellis; si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si iactaris Superbia vndis, si Ambitionis, si Detractionis, si AEmulationis, respice stellam, voca MARIAM. Si Iracundia, aut Auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conscientia fœditate confusus, Iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso. cogita MARIAM, in periculis, in angustijs, in rebus dubijs MARIAM cogita, MARIAM inuoca; non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens, non deuias, ipsam rogans, non desperas: ipsam cogitans, non erras: ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non defatigaris, ipsa propitia, peruenis, & sic in temetipso experieris, quàm meritò dictum ab Euangelista; Et nomen Virginis MARIA. Hæc Zelosus Virginis Gloriosissimæ MARIAE cultor & amator Bernardus. Nihil ergo tam arduum, tam difficile, si huic oraculo fides, vt est indubitata, quod eius apud cœleste Numen interuentu nequeamus sperare, & infallibili gratia expectare.

Maria stella semper respicienda.

Recursus in omni necessitate ad Virginem Mariam.

CAPVT XV.

ALIA FOEMINA A SIMILI morbo curatur.

VT verbis sancti Bernardi præcedens Virginis beneficium terminauimus; ita hoc, quod sequitur, illi neutiquam dispar, meritò inchoamus: *O admirandam, & omni honore dignissimam Virginem! O Fœminam singulariter venerandam, super omnes Fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum purificatricem, egentium auxiliatricem, calamitosorum subleuatricem.* Hæc ille de Virgine nostra; O quàm verè, quàm congruenter! quotus enim quisque ad ipsius interuentum apud Filium affectuosè recurrens non impetrat, quod exoptat? Confirmor nouo, quod referam, exemplo. Ioannis Osterreicheri ciuis Bottensteinensis coniux Barbara, insolita capitis inflammatione acerrimè diuexata ita contabuit, vt mensibus aliquot nec ratione, nec sensibus vteretur, elinguis & immobilis, lecto iugiter affixa. quod igitur ipsa effectum dare non poterat, coniugis loco, ac vice maritus in humeros suos haud illubenti animo recipiebat: Deum itaque toto corde ac viribus pro sua deprecans consorte, voti se reum fecit, celebrem eius memoriam in VVeyerensi domo, quanta posset religione, prima occasione visitandi. Nec id caruit eo, qui amanti quàm maximè in votis erat, euentu:

Eodem sermone.

Exemplum amoris coniugalis.

eodem

eodem enim vesperi ægra & sibi, & rationis, ac sensuum vsui redditur, & marito à mortuis quodammodo suscitata cœlesti beneficio de nouo veluti traditur & consignatur. Ergo vt grates reponant vices, vterque votiuum iter pari labore aggrediuntur, consimili deuotione absoluunt, prosperrimaque valetudine constabiliti, ad proprios lares reuertuntur. Et nos cum S. Athanasio hæc in omni tribulatione & angustia nostra sacri acroamatis loco verba animosè vsurpemus, *Quandoquidem ipse Virginis Filius Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus est DEVS noster, ea propter & Mater, quæ eum genuit, & Regina & Domina nostra, & Deipara propriè & verè censetur. Ista noua Eua, Mater viuentium appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium: dicimus eam igitur, iterum atque iterum & semper vndequaque Beatissimam.* Decantatis porrò virginalibus hisce præconijs, illicò subdit: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu Virgo permansisti: Aue gratia plena, Dominus tecum: Beatam te prædicant omnium Angelorum, & terrestrium Hierarchiæ: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: Intercede Hera & Domina, & Regina, & Mater DEI pro nobis.* Viderint hic Marianæ inuocationis, & Cultus obtrectatores; audiant MARIAE calumniatores, quid Sanctus Athanasius de Patrocinio Virginis ipse crediderit, senserit, publiceque pro concione populo Alexandrino deprædicarit, & erubescentes posthac consilescant.

Anno 1617. 21. Nouem.

In Euang. de S. Deipara.

Maria cur Deipara, Domina & Regina.

Virginis Intercessio à S. Athanasio expetita.

CAPVT XVI.

PRAECIPVAE DIGNITATIS PRAELATVS AB insanabili & lethifero morbo curatur, & Medicus eius ab Hæresi resipiscens, Ecclesiæ Catholicæ gremio aggregatur.

DEmigrandum aliquantisper in Regni Bohemiæ Fines, & inde Beneficium sanè luculentissimum, & à miraculo haud alienum, ad illustrandã Angelorũ & hominũ Reginę gloriã isthuc asportemus.

Admodum Reuerendus in Christo Pater, ac Dominus, Dominus Andreas Ebersbacher, famosissimi Teplensis Monasterij Præmonstratensis Familiæ Abbas, tã dignus, quàm qui dignissimus, Vir vt ętate grandęuus, ita sapientæ prudentiæque, inprimis verò feruentissimi Catholicæ Religionis zeli nomine spectatissimus, malignissima Febri amphimerina continuis accessionibus de die in diẽ magis magisq; ingrauescẽte, & naturalẽ

Morbi grauitas & exigua ſpes ſanitatis.

depaſcendo calorem, totius Corporis vires ad fundum quodammodo exhauriẽte, periculosè contabeſcebat. Maraſmus inſuper ſat grauis ſpem vitæ vlterioris vix vllam ſuperſtitem relinquebat. Medicus porrò, cuius opera vtebatur, à Criticis diebus, & horis, de malo in peius vergentibus, vti certiſſimis vicinæ mortis præambulonibus conuictus, inter ſacrum ſaxumque hæſitans, vix aliquid bonæ ſpei reſiduum eſſe credebat. Erat is Clariſſimus D. Michael Raydenius, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Thermarum Carolinarum & Schlackovvaldenſium conſtitutus Phyſicus, eruditione, medendique peritia eximiè conſpicuus. Deſperatis igitur humanæ opis quibuſcunque ſubſidijs, ad Diuina ſibi contendendum eſſe iudicabat æger. quocirca intimo mentis affectu ad Deum conuerſus, ab eo, mediante Sacroſancta Domini Ieſu Matre, iuuamen expoſtulabat, palàm vouens, ſi petitam annueret ſanitatem, quāprimùm ſe, vbi per vires & Monaſterij negotia liceret, inuiſurū tot miraculis commendatum VVeyerēſe Virginis domicilium, inibiq; tremenda altaris Myſteria offerēdo, condebitas gratiarum actiones, vnà cum votiuo donario grata viciſſitudine repoſiturū. Erat is, quē diximus, Medicus adhuc Lutheranæ hæreſi addictus, & præſens, & ſuſpēſis animi cogitationibus Cataſtrophen totius negotij videre, & intelligere geſtiebat. O magna Dei benignitas, neminem volentis perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire, & ſcopum aſſequi ſalutis æternæ! AEgrotāti ergo Antiſtiti cælitus, agente apud Filium Virgine, ſanitas corporis, at Medico animæ ſalus per Fidei donum gratuitum deſtinatur. Reualeſcit ille, & redintegratur viribus corporis, iſte ab errorum caligine extricatus, colluſtratur interiori lumine gratiæ Spiritus ſancti. Surgit ille liber à Febri ſanguinē inficiente: iſte ab infami hæreſeos lepra animam turpiſſimum in modū fœdante reſpirat, & eluctatur. In vno igitur, eodemque virorum grauiſsimorum comitatu è Bohemię Collimitio in Bābergenſis ditionis cōfinia recto itinere ad ſacram Dei Matris Baſilicam contendunt. Ibi Præſul Teplenſis ex voto ſacris operatur: Medicus R.do Patri Danieli Kunig, Ordinis Diui Frāciſci de obſeruantia, quem ex Egranenſi Monaſterio pro ſacra Exomologeſi ſecum adduxerant, peccata ritè confeſſus, & cū Eccleſia reconciliatus, ſacram è Prælati manibus accipit Synaxin. atq; ita religionis & voti onere expediti cum gaudio ad propria reuertuntur.

2. Pet. 3.

Sanitas duplex diuerſis impertita.

Anno 1617. 2. Decemb.

Quæ omnia & ſingula non è Regeſtis duntaxat ſacræ domus deſcripſimus, & in commentarios hoſce retulimus, ſed & ex ſupradicti Religioſi Patris Danielis ore hauſta perquam Reuerendus & Ampliſsimus Dominus, Dominus Georgius Runnerius, Ordinis Crucigerorū de rubea ſtella, Præſes & Cōmendatarius Hoſpitalis Egranenſis, & Decanus Cubitenſis, vir quà integritate, & omni virtutum genere, quà eruditione,

Fides rei geſtæ.

& singulari humanitate clarissimus, exactissimè recensita mihi communicauit; nam & vnà in eodem illo Comitatu sacram Virginis memoriam, etsi sæpius aliàs, ita & hac vice sua præsentia cohonestarat, & omnia partim coràm agi vidit, & audiuit, partim à Domino Prælato, & D. Raydenio oretenus excepit.

Ne itaque graue, aut molestum sit, diuinam Archiatram nostram, quæ vtrique diuersa sanitatum dona liberalissimè à Filio procurauit, vnà cum sancto Ephræm magnificè deprædicare: *Intemerata prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium, Domina mea Gloriosissima, eademque optima, sublimior Cœlicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubin, & Polyommatis, id est, multoculis spiritibus, sanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus superis Exercitibus gloriosior. Spes Patrum, gloria Prophetarum, Apostolorum præconium, & honor Martyrum, sanctorum lætitia, & lumen studiosorum, Abraham, Isaac & Iacob, decus Aaron, Moysis splēdor, & Gedeonis vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium sanctorum ac Virginum corona, ob fulgorem inaccessa, acerra aurea, lucerna micantissima, vrna cæli manna gestans, tabula scriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuinissima, omnium Princeps, circumspecta & lucifera Virgo. consolatio sanctissima, & omnium Dux ac Principissa, sacratissima puella O rube incombuste. prædium, & virens Aaron illius virga. Virga profectò extitisti, & flos Filius tuus è radice Dauid, & Salomonis germinauit Christus, noster Creator, Deus & Dominus omnipotens, altissimus & solus. Tu, quoad Corpus, Deum & Verbum genuisti, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. per te reconciliati sumus Christo Deo meo, Filio tuo. Tu peccantium & auxilio destitutorum adiutrix. Tu portus procella vexatorum. Tu solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima, tu orphanorum susceptio. Tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium salus. Tu solitariorum stabilimentum, & spes mundanorum. Tu Virginum decus, corona, & gaudium sub alis tuis custodi me, & protege: Miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quamplurimis Creatorem Deum meum, & Iudicem offendi, ne aduersus me glorietur Sathanas exitiosissimus. Non mihi alia fiducia, ô Virgo sincera: tu enim es portus, ô Virgo inuiolata, & præstans Auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis te, ô celeberrima Mater, imploro, & aduoluor tibi, Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis Filius tuus, & vita omnium dator, ob multa, quæ patraui scelera, tollat me de medio, &c. Dignare, Virgo, te tuum seruum laudare, & dicere: Aue Dei splendidissimum, & luculentissimum vas: Aue Domina MARIA, gratia plena: Aue in mulieribus virgo beatissima: Aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodijt; Aue Illustrissima lux, Mater & Virgo: Aue, quæ mirificè Regem omnium peperisti: Aue, per quam nobis sol præclarissimus illuxit: Aue Domina cunctis sublimior, Aue Canticum Cherubin, & hymnus Angelorum; Aue pax, gaudium, & salus mundi: Aue generis humani lætitia: Aue Patrum præconium, & Prophetarum decus: Aue Martyrum pulchritudo, & corona Sanctorum: Aue piorum gloria. & in solitudine degentium Hymnus: aue præclarissimum Hierarcharum cœlestium*

In oratione de laudibus sanctissimæ Dei Matris.

Inuocatio Virginis deuotissima.

Laudes Virginis.

orna-

ornamentum: aue præstantißimum orbis terræ miraculum: aue lignum vitæ, gaudium & voluptas: aue vallum fidelium, & mundi salus: aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix: aue nostra periclitantium Auxiliatrix: aue Flos gratiæ, & consolationis: aue refugium peccatorum & hosp tium: aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorum aue conuersorum refugium: aue virorum iuxtà mulierumque Regina, & tutela; aue mundi Mediatrix gloriosissima: aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix: aue domina, sceptrum fidelibus tuis imperans: aue quæ mœrores sedasti, consolatrix omnium; aue porta cælorum, ascensus omnium: aue reseramentum portarum Paradysi: aue clauis cælorum & Regni Christi. Precibus Dei genitricis semper Virginis, & exercitus cœlestium, ac cœtus Angelorum, Cherubin, Seraphin, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, Sanctorum intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus miserere tuæ creaturæ Deus mi Clementissime, à dextris in hora Iudicij colloca humiles seruos tuos. Ne O domine vitæ Author, ad opera, quæ nos mortales legem præuaricati commisimus, aspexeris: quin potius aspice ad mitißimam humanitatem & misericordiam tuam, dignißimaq; Matris tuæ preces pro nobis fusas ne contemne, sed audi, atq; exaudi ad gloriam tuam, & nostram salutem, Amen. hæc S. Ephræm Mariano iam ante mille & ducentos annos dicabat honori; O quàm ab insano modernorum hæreticorum cerebro aliena? quàm ipsorum palato, & gustui acerba & amara? At bilem licèt & stomachum illis moueant, coguntur tamen, ad perpetuam ignominiam suam, audire & tolerare, cùm nequeant impedire.

CAPVT XVII.

PVER GRAVI MORBO AD EXTREMA REDACTVS, Parentum, tametsi Lutheranorum, voto releuatur.

QVid aliud est, aiebat Antisthenes Philosophus, *è flamma cibum petere, quàm eorum auxilium, & opem implorare, quos, non vrgente necessitate, ne teruncij quidem æstimaris?* Nemo est, qui ignoret, quàm immodestè, quàm sinistrè, quàm impiè, quàm blasphemè Lutherani imprimis, & Caluiniani Stentores de Virginis, Dominæ nostræ cultu & inuocatione tàm sentiant, quàm loquantur. *Necessitas* equidem *ingens telum*, vt ait diuerbium: nam hæc vbi ad restim, & triarios res deuenêre, non rarò adigit, immò & vrget atque compellit, vt nobiscum, mediante Sanctorum interuentu, velut indubitato alexipharmaco diuina beneficia impetrare contendant: Felix autem necessitas, quæ ducit ad meliora. Id suo facilè comprobabit exemplo Ioannes Pfeifferus Olsnicensis Incola, & Saxonici Electoratus Vasallus; cuius Filiolus, nomine VVolffgan-

Stobæus ser. 21.

Ministri Prædicantes de inuocatione Virginis perperam sentiunt & loquuntur.

gus,

gus, diuturna, lentaque febri tabefactus grauissimè infirmabatur; quin etiam conquisitis vndique pharmacis, frustra, & sine spe frugis adhibitis, Puer loquelæ, & iam sensus, ac motus expers animam agebat.

Inaudierant Parentes magnalia Dei toties & tàm luculenter apud VVeyerensem Benedictæ Virginis memoriam multorum calamitosorũ bono quotidiè multiplicari. Ergo quidquid verbi Theriacopolę oggererent, & Idololatriã admitti impiè calumniando inclamitarent, Ioannes re cum vxore maturiùs deliberata, votum Virgini cum ipsa nuncupauit, si eius apud Filium intercessione Puerulus incolumis, & sanus huius lucis vsuræ restitueretur.

Non reiecit Pia, & ad iuuandos calamitosos mortales propensissima Auxiliatrix votum etiam ab Acatholicis hominibus ritè nuncupatum: Eadem hora Puerulus à morbo deseritur, sanitati pristinæ paulatim restituitur, Parentes alloquitur, cibum expetit, & postridiè corporis viribus integer è lecto surgit. Nec ita multò pòst vltrò comparuere Parẽtes, Filiolum adductum Virgini Deiparæ ad eius aram sistunt, votiuum pro eo dònarium offerentes, & acceptum, mediante Virginis patrocinio, beneficium coram Parocho, sacræ domus Præfectis, alijsq; compluribus omni exceptione maioribus testibus mirificè deprędicant, Deum ac Dominum nostrum in Matre sua summis laudibus extollentes.

Votum à Lutheranis parentibus pro Filio factum a Dei Matre non reijcitur.

Anno 1617 12. Decemb.

Addamus & nos cum Sancto Anselmo Cantuariẽsi Episcopo, vt huius Puerculi Parentibus in elogijs Parthenicis ampliandis adstipulemur: *Rogamus te Domina per ipsam gratiam, qua te pius & omnipotens DEVS sic exaltauit, & omnia sibi secum possibilia esse donauit, quatenus id apud ipsum nobis impetres, & obtineas, vt plenitudo gratiæ, quam meruisti, in nobis sic operetur, quò participium Beati præmij nobis misericorditer quandoque condonetur: Ad hoc quippe Deus noster per te factus est Frater noster, vt quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostræ humanitatis, sic nos mereamur consortes fieri suæ diuinitatis. Intende ergò Domina pijssima, vt nobis ad effectum proueniat, propter quod DEVS noster ex tuo castissimo vtero factus homo, inter homines venit: ne sis, quæsumus, exoratu difficilis, quia procul dubio idem benignissimus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendũ, quicquid voles, promptissimus, & exaudibilis. tantũ modo itaq; velis salutem nostram; & verè nequaquam salui esse nõ poterim°. Quid igitur stringet larga misericordia tua viscera, Domina, cõtra nos, vt noils saluare nos? Certè Deus noster (teste Propheta) misericordia nostra est, & tu eiusdem Domini nostri absque dubio vera Mater. Si tu ergo, quæ Dei Mater es, & eò reuera Misericordiæ Mater, & Gratiæ, denegas nobis effectum Misericordiæ, cuius tã mirabiliter facta es mater, quid faciemus, cùm idem Filius tuus aduenerit cũctos æquo iudicaturus iudicio? Subueni ergo nobis, Domina pijssi-*

In lib. de excellentia Virg. gloriosæ, cap. 12.

Deuota Mariæ inuocatio.

Maria cur Misericordiæ Mater.

ma, & non considerata peccatorum nostrorum multitudine, velle tuũ ad miserendum nobis inflecte. Cogita quaeso, & recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad saluandum Peccatores Conditor noster ex te factus est homo. Cur itaque non iuuabis nos Peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es leuata, vt te Dominam habeat, & veneretur omnis pariter Creatura? Ab initio renouationis humanae omnibus sub tuum praesidium confugientibus hucusque succurristi, & idcirco pro omni Creatura omni laude dignissima dici & esse meruisti: Eia succurre, oramus, vt laus, quam per tot saecula dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ista, qua mundo perdito subuenisti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura, ne pereamus: fac potius, vt salus nostra de die in diem multiplicetur & Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO vita nostra iugi deuotione famuletur. Quid ad ista Ministri verbi Lutherani, qui digitorũ contactu lunae cornua se apprehendisse credunt, ideoque cum ocreis & calcaribus sine omni Mariana promotione in caelum euolare contendunt? Quid Caluiniani Sycophantae, qui vt canes aut feles, dum in sacco stringuntur, transuersum semper locum obtinere moliuntur? abeant cum elumbi sua, & inualida veritatis oppugnatione: AEgra & vacillans, ac propemodum in extremis constituta, & vix spiritum trahens caussa suomet pondere ruit, & in ignominia, quam parturijt, velut asini sepultura contumulatur.

Salus nostra Christo per Mariã.

CAPVT XVIII.

PVERVLVS ALTERIVS LVTHERANI filiolus ab epilepsia & sontico morbo diuinitus curatur.

PERICVLVM *ex alijs facito, tibi ex vsu quod fiet:* monebat olim Comicus; id quod egregiè praestitũ à Ioanne Pesineckero Stombacensi inquilino, Brandenburgicae ditionis, Lutheranae sectae opinionibus itidẽ imbuto. Stupenda de miraculosis Diuae VVeyerensis beneficijs & ipse perceperat in vulgus spargi: quare cùm Filius eius continua primũ aliquot hebdomadarum epilepsia extremè conficeretur, quae malo in dies magis magisque gliscente, tandem in morbũ Herculeum, siue Comitialẽ degeneraret, ita vt foedum pariter, & flebile spectaculum accurrẽtibus vniuersis horrendissimis conuulsionum iactationibus de se praeberet; suasu vxoris & aliorum complurium, etiam Lutheranorum, qui rei virtutem compertam habebant, exemplo pro Pueri incolumitate voto se astrinxit cũ cerea oblatione VVeyeranae domus Praesidem Mariam vnà cũ Puero, vbi primum per valetudinem liceret, visitandi. Sed ô stupendam Virginis

Terent. in Heautontimorumen.

Morbus Comitialis ex epilepsia.

Accelerata exauditio hominis Lutherani.

bene-

beneficentiam! vix votum ex ore Parentis prodierat, & ecce, promouente apud Filiũ Dei Matre, optata Pueri sanitas illud cõtinuò excipit: sedatis enim morbi accessionibus, Puer suauissimè indormiscit; euigilans porrò ab omni deinceps non solùm Epilepsiæ, sed & Caduci mali insultu cernitur immunis. Agnoscunt itaque Parentes debitum, veniunt, voti reatum & sarcinam deponunt, Virginis gratiam d. prædicant, & Filium palàm omnibus cernendum exhibentes, beneficium Cælitus demissum mirificè extollunt; Quin etiam, quidquid oblatrent malesani Ministri, in VVeyerensi Actuario totam rei gestæ seriem describi lubentes volentesque permittunt; ac vt id aliorum etiam bono fiat, summis precibus obtestantur.

Anno 1617. 22. Decẽbris.

Quòd si nostra hæc singularis Patrona & Aduocata eos etiam, qui sunt extra Filij mysticum Corpus, quod est eius in terris Ecclesia, ad se clamantes, & in cladibus atque calamitatibus suis opem eius implorantes non solùm audiat, sed & exaudiat; quid ni & nos, cùm afflictionibus premimur, ad eius misericordiæ sinum properantissimè festinemus? animum nobis addat, fiduciæ calcaria subdat & extimulet exhortatio S. Bernardi: *Et ipsa,* inquit ille, *dico vobis, Charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ: quoniam misericors est, & Mater Misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum, à quibus minimè fuerat rogata; multò magis compatitur nobis, si piè fuerit inuocata.* Stat integra verbo tuo fid s, Sancte Pater Bernarde, rutilantissimo huic astro non est opus accensa face, aut meridiano sole.

Serm. 2. Dominicæ II. post oct. epiphaniæ.

Hæc ad acidulas Egranas Amanuensis calamus ab ore meo excepit. Quæ deinceps subiũguntur, Anno supra millesimum sexcẽtesimum decimo octauo, omnia, siue contigerunt, siue alio tempore facta, corã VVeyerẽsis Ecclesiæ Parocho, Leogastensi Pręfecto, alijsve Magistratibus relata, legitimè ac publicè in Actuarijs eiusdem Ecclesiæ fuere annotata; sed & nihilominus à me diligentissimè disquisita, & à personis, quas ea concernebant, tum per me, tum per alios locorum Præsides integerrima fide, ac veritate explorata & perspecta præcedentibus accessere.

Finis Miraculorũ Virginalium ad acidulas Egranas dictato.um.

CAPVT XIX.

PARENS CVM FILIO FEBRI MANIAca extremè confecti sanitatem assequuntur.

Maxim. serm. 19. Homo Pila Palmaria Fortunæ.

RECtè Politicus quidam, *hominem calamitatum & cladium pilam* veluti *palmariam* appellasse creditur, ita varijs, dum in hac miseriarum valle degit, Sortis ac Fortunæ præsertim asperioris ictibus atteritur, & alteratur. Quod ipsum de se verissimè affirmarit Ioannes Stor Ciuis Bambergensis, opificio Vietor: huius imprimis Filius diuturna, Phreneticaq; febri mirandum in modum, vehementissimeque tortus, & sibi & coniugi ineffabilem mœstitiam pariebat; nec humanitus, licèt omnia haud sine sumptu & impensa tentarentur, remedij aut opis aliquid suppetebat. Verùm hic non sistitur cursus aduersitatis, idem morbus & Patrem inuadit; & quidem ita vehemẽter excruciat, vt nemo vitam vel ad vnum diem ausus fuerit polliceri. Vterq; igitur sibi aliquantulũ redditi, voto parili ad inuisendam Deiparam VVeyerensem, sese addicunt: & voto simul ardentissimas ad Deum, & Virginem preces adiungunt. Nec defuit Deus pijs eorum desiderijs; nec alterutrius fiduciam Virgo fefellit: Nam eodem die apud vtrunque omnis maniæ Phrænesis abscessit, integræque conualescentiæ, quæ tridui spacio secuta est, locum reliquit. Quã obrem, vt ius & fas erat, vterque promisso stetit, & voto quamprimum ad Virginale templum properando satisfecit.

Anno 1618. 6. Ianuarij

Subiungamus & nostra vnusquisque desideria, & non solùm talia, sed & longè præstantiora cum S. Ephræm Virginis interpellatu dona postulemus: *Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei Sponsa, Domina nostra, vnica spes desperatorum, oppressorum subsidium, & ad te currentium auxilium præsentissimum, omnium denique Christianorum profugium, meam sordidissimam, indignisque labijs expressam orationẽ admitte, nec non tuum quidem Filium, meum autem Herum & Deũ materna tua liberalitate volens exora, vt mihi quoque mitissima illa suæ pietatis viscera reseret, & posthabitis innumerabilibus peccatis meis ad Pœnitentiã me conuertat, probeque sua complere mãdata concedat. Adsis mihi semper, Virgo misericors, clemẽs & benigna, in præsenti quidem vita feruens protectrix, ac auxiliatrix, hostiles impetus repellens, ac me deducens ad salutem, ac in supremo vitæ momento miseram meam animam conseruans, & tenebrosos malorum dæmonum impetus ab ea procul abigens, in terribili autem die iudicij ab æterna dãnatione me liberãs, postremò inaccessæ tui Filij Dei gloriæ haredẽ me efficiẽs. Quã per intercessionẽ, fauoreq, tuũ, Domina mea*

In oratione ad sãct. ssimã Dei Genitricem

Deuota inuocatio Patrocinij Virginalis.

Maria singularis opitulatrix in Agone certantium.

sanctis-

[illegible]ma, Dei Mater, et etiam atq; etiam oro, assequi valeam gratiam miseratione & humanitate vnigeniti tui Filij Domini ac Dei, Saluatorisq; nostri Iesu Christi. cui conuenit omnis gloria, honor, & veneratio cum æterno eius Patre, & sanctissimo optimoque vitæ Authore Spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Sic ante mille ducentos & plures annos vir iste sanctissimus Dei Matrem salutauit, sic inuocauit, sic eius opem in vita & morte postulauit. Apagite, qui tenacissimo illi corruptorum dogmatum limo inhæretis; omnis coctura, & contra Partheniam inuocationem opposita structura vestra scirpeo nititur suppedaneo, stramineaque columna incassum subfulcitur.

CAPVT XX.

CRVRIBVS ET PEDIBVS CLAVDA, MANIbusque & brachijs contracta, dum curru ad Virginale templum ex voto subuehitur, in via integrè à malo liberatur.

Simile.

MAtres nonnullæ, dum Paruulos ablactare cupiunt, absynthio vbera perlinunt, cuius amaritudine absterriti lac perhorrescant, & ad solidiores cibos post hac appetendos assuescant: sic & Deus vitæ huius illecebras tribulationum salsedine permiscet, vt à caducis, & fluxis huius vitæ cupedijs, & oblectamentis ad eum tantò ardentiùs properemus, & post hac stabilia & perennia bona desiderare condiscamus: hic enim præcipuè à Deo scopus intenditur, cùm varijs morborum cladibus homo percutitur, & fatigatur.

Paraplexia brachiorũ & crurium.

Edocebit id Dorothea, Sebastiani Ruppensteni honorati Ciuis Schefflicensis vxor: hæc enim anno diutius integro Paraplexiæ crurium, & brachiorum siderationibus icta manuum pedumque quin etiam aliorum membrorum vsu penitus extincto, doloris lectulo iugiter inhærescebat. Illa ergo, quod res erat, Deum tanti flagelli immissione quærere sagaciter iudicans, toto pectore de prioris vitæ peccatis indoluit, & veniam corde cõtrito postulans, Benedictæ Virginis Mariæ interuentu misericordiam atque à tanto malo liberationem efflagitauit. & votũ insuper, marito annuẽte, apposuit sine mora, quà posset, & morbi grauitas fineret, ad Virginis domicilium properandi, ac per ipsam desideratam sanitatem, si ita Diuinæ prouidentiæ visũ foret, impetrandi. Culcitris igitur plumeis (aliter enim de loco in locum transportari nequibat) accuratè munita,

de proſpero euentu nihil hæſitans carpento imponitur. Nec ſpes tàm firma in Deum & Virginem eam feſellit: vix enim dimidiam viæ partem confecerat, ecce tibi, membrorum reſolutio vi quadam hactenus inexperta è toto eius corpore diſpellitur, & eliminatur: redit antiquus vigor, manuum pedumque motus, à morte veluti excitatus, reuiuiſcit, ita quidem, vt cùm VVeyeram deuentum eſſet, è curru deſcenderet, & ſine omni ſuſtentaculo, aut fulcro templum ingrediens, ad Virginis aram genibus nixa procumberet, votique religionem legitima prece expiaret.

Morbi profligatio admiranda.

Anno 1618. 2. Ianuarij.

.Luculentum ſanè, & ſpectabile imprimis beneficium; vnde id, quod Eccleſia ſancta, dum corporis & ſanguinis Dominici Sacrificium offert, de Virgine prædicat, apertiſſimè ad oculum liquet: *Idcircò eam de præſenti ſæculo tranſtuliſti, vt pro peccatis noſtris apud tuam Clementiam fiducialiter intercedat.*

Eccl. in Offi. Miſſæ in Vigilia Aſſumptionis.

Dicite, obſecro, Caluiniani, aut Lutherani Præcones; dicite, inquam, an vel vnicum tale ad teſtificationem Euangelij veſtri, quàm longè lateque patent omnes Synagogæ veſtræ, miraculum diuinitus deſignatum numerare poteſtis? Nos, inquiunt, miraculis non indigemus; Verbum Dei, Verbum Dei; Euangelium, Euangelium, Apoſtolorum miraculis olim ſat eſt roboratum: neoterica miracula non curamus. O belliſſimos Cynædos! ſic ſanè AEſopica illa Vulpecula vuas, quas apprehendere nequibat, amaras eſſe perhibebat.

Nos autem, fremant licèt, & frendeant impij hæretici, de ſingularis Patronæ noſtræ in cœlo ſuper omnes Angelorum Choros exaltatione cum B. Bernardo candidè profitemur: *Præceſſit nos Regina noſtra, præceſſit, & tam glorioſè ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur Dominam ſeruuli clamantes: Trahe nos poſt te, in odore vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater Miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Aſcendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipſa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? ſiquidē nec facultas illi deeſſe poterit, nec voluntas: Regina cœlorum eſt, miſericors eſt; deniq; Mater eſt vnigeniti Filij Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis eius, ſeu pietatis magnitudinem cōmendare: niſi fortè aut non credatur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis poteſt, omninò in affectum charitatis tranſire Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt, charitas nouem menſibus corporaliter requieuit.* Heus, Hæretica Calumnia, aut tace; aut ſi malis, confundere & erubeſce.

Serm. 1. de Aſſump. Virginis Mariæ.

Maria humani generis aduocata.

CAPVT

CAPVT XXI.

QVOTIDIANA PER ANNVM PROPE CONfectus epilepsia Puer, & vitæ periculo, & malo subtrahitur.

Gubernatio diuina dirigit nos inter prospera & aduersa.

QVi in mari velificantur Epibatæ, Architalassi curæ atque prouidentiæ se totos vt credant, vt committant, oportet; nam illius est spirantes in carbasa Circios sic excipere, velis remisque sic incumbere, & aplustria sic applicare, clauum sic moderari, ne nauicula in Syrtes aut Scopulos impingatur; quin potius, cursu demenso, exoptatum in portum subuehatur: sic nos, quamdiu in periculoso huius vitæ Pelago nauigamus, toti dependemus à gubernatione diuina, cuius est omnem vitam nostram inter prospera & aduersa sic dispensare, vt ad salutis æternę scopum tandem prosperè pertingamus. Non malè igitur nobiscum agit, dum calamitatum, atque cladium procellis nos exercet, sed nostrum potius bonum venatur, dum hac veluti machina nostros ad se trahit affectus. Cùm verò in multis alijs, quæ iam dedimus, exemplis, tum verò in eo, quod subiungemus, id potissimùm erit videre.

Anno 1618. 24. Ianuarij

VVolffgangi Hornij Ciuis Bannacensis Filius duodennis quotidianis Epilepsiæ paroxismis anno integro, sine vllius remedij vel minimo profectu, dirissimè torquebatur. Quid actum ageret Parens creatis inhiando medicinis, quarum vis omnis iam eneruis, & frustranea probabatur? ad cælestem igitur Archiatrum, Dei Filium per Matris intercessionem confugiendum esse decernit. Voto itaque ad sacram eius tot miraculis famosam Domum imprimis affectu, opere autem prima occasione destinat: & ecce vix id Vxori significauerat, & Puer illicò ab infestis morbi insultibus deseritur, triduique spacio constanti valetudine roboratur.

Serm 4 de Assumpt. Virginis.

Sileat misericordiam tuam, O Virgo beata, aio iterum cum S Bernardo, *si quis est qui inuocatam te in necessitatibus sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cætera in virtutibus cõgaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus Virginitatem, humilitatẽ miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius; Misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit: constat enim pro vniuerso humano genere fuisse sollicitã, cui dictum est: Ne timeas Maria, inuenisti gratiã, vtiq; quã quærebas. Quis ergo Misericordiæ tuæ, O benedicta, longitudinẽ & latitudinẽ sublimitatẽ & profunditatẽ queat inuestigare? Nã lõgitudo eius*

Misericordiæ Marianę quadruplex magnitudo.

in diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & Sublimitas eius Ciuitatis supernæ inuenit restaurationem; Et Profunditas eius sedentibus in tenebris & vmbra mortis obtinuit remissionem: Per te enim cœlum repletum, Infernus euacuatus, restaurata ruina cœlestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita donata. Sic potentissima & pijssima Charitas & affectu compatiendi, & subueniendi abundat effectu, æquè locuples in vtroq;. Hæc fidelissimus Matris nostræ Encomiastes. quid nos Filij adoptiui à tanta Matre per Filium eius naturalem, Deum ac hominem, Dominum nostrum sperare non audeamus? aduncos gryphorum vngues, O harpyiæ Luthero-euangelicæ, à laudibus Mariæ posthac cohibete, neque calumniarum & cauillationum vestrarum apophoreta in mercatibus vestris Concionatorijs ampliù, venum, more vestro, exponite, quibus Euangelium vestrum haud paullo elegantiùs phaleratur, & lemniscatur, quàm cauda sua Cercopithecus exornatur.

CAPVT XXII.

ALTERO EXOCVLATVS LVMINE, ET Integritatis membri, & facultatis videndi fit compos.

Simile.

Iob 7.

QVamdiu in huius vitæ fabula, & proscænio exercemur, Bellonæ pariter & Mineruæ alumnos oportet agere: cùm enim *militia* sit *hominis vita super terram*, cum varijs aduersitatibus, quæ velut infensissimi hostes turmatim, pedestres, equestres, curules, per calles, colles, & compita aduolant, modò est depugnandum; nunc autem pace vti datur in rebus secundis. Et felix ille, qui in aduersis non extollitur, vt à Deo recedat; nec sic asperis deijcitur, quin opem flagitando, spe firma in Deum assurgat. Qua in re nos informare poterit Ioannes Petzius, Ciuis Bambergensis, in suburbio lapideæ, quam vocant, plateæ habitans. Nam è biliosæ defluxionis humectatione nimia enormiter atroces oculi sinistri dolores perpessus erat. Expenderat iam, & erogauerat sumptus non contemnendos in Chirurgiæ ophthalmicæ peritos homines, quos aliundè euocari curauerat. Sed frustra: perijt oculus, pupilla planè corrupta nil splendoris, aut luminis retinuit, sed eius loco ineffabilis diu noctuq; sæuiens dolor remansit.

Alterius oculi orbitas

Ergo ad omnis misericordię Fontem vberrimum, Genitricem Mariã, in VVeyerẽsi eius memoria tot miraculis nobilitatã, recurrendum cẽsuit.

Votiua igitur ad locum istum profectione instituta, cùm religioso Pietatis obsequio per Matrē CHRISTO IESV, summo in oportunitate Adiutori preces detulisset, & iam domum repetere cogitasset, inusitata malè affecti oculi prurigine, ac titillatione irritari occipit; progreditur nihilominus; ex ea interim hora salsedo illa excrementitia, quæ membrum orruperat, penitùs exarescit; decutiūtur ab oculis quidā veluti furfures; emergit pupilla; & tandem post breuiusculam temporis intercapedinem vnà cum Organo visionis integer vsus prosperrimè redditur, & restauratur. Eia agite, qui peculiari Deiparæ Virginis amore flagratis, deuotum eiusdem cultorem audite, & impigrè imitari contendite. Quid enim ille? hæc eius verba: *Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra; ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat. Sit pietatis tua, ô Virgo, quam apud Deum gratiam inuenisti, notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solennitatis, & lætitia dulcissimum* MARIAE *nomen cum laude inuocantibus seruulis per te, Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur* IESVS CHRISTVS, *Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Vos hîc, ô Protestantismi, tam veteris millies recoctæ, quàm recentioris à Caluinianis, vt videri volunt, Reformatæ Confessionis Augustanæ Buccinatores, qui pro farina Euangelica furfures, pro vuis algas, pro ficubus fungos pro veritate mendaciorum fucos ingeritis, & simplicium pectoribus inseritis; vt quid Celeusma canitis? vt quid triumphatæ Marianæ Idolomaniæ euanidam lauream ambitis? Tot ecce, & perenni fluxu cœlitus defluentia signa per vtrasque malas sic vos suffundunt pudore, vt pudibundo totius orbis spectaculo exambiatis.

Recursus ad Virginem.

Contigit Anno 1616. in Nouembri, sed relatū in sacra domo Anno 1618. Maij.

Serm. 4. in Assumpt. Virginis.

CAPVT XXIII.

AMPHIMERINA FEBRI PER INTEGRVM annum viribus omninò exhausta, & morti proxima, gradum reuocat ad sanitatem & vitam.

E Scintillis, quæ per malleum & Incudem promicant ex officina, colligimus ignem viuere: sic dum in tribulationis fornace positi suspiria pro auxilio feruentiora in Cœlum transmittimus. Diuinæ charitatis flammam, aquis cladium & miseriarum super capita nostra licèt inundantibus, necdum consopitam esse declaramus: Id, quod in Anna

Simile.

Reinfeldina Bambergensi Ciue luculenter etiam deprehendo: Illa namque quotidiana,& acutissima, calorem naturalem depascente,& humidũ radicale ex intimis quodammodo fibris absumente febri integro diutiùs anno sæuissime lancinabatur. Nec phlebotomiæ, neque catharticæ euacuationes,quas medicorum suasu non semel adhibuerat,vllius ad pellendum malum valoris erant.restabat solùm, vt ad feliciorem ex hac vita transitum sese compararet; quod & opera spiritualis Medici industriè præstitit. Veruntamen, quæ nostra est infirmitas,vt hanc vitam impensiùs diligamus,& eius vsuram non nisi inuiti,& summa cum difficultate deseramus, spe adhuc aliqua longioris vitæ spacij feruentiùs alliciebatur. Ad Virginem igitur,vitæ Genitricem, perfugij caussa, vitæ prolongationem postulatura recurrit,& eius VVeyerensi habitationi, cum votiuo donario,frequentandi voto se onerat; cuius cùm debitum, licèt corpore admodum debilis,aliorum adminiculo exsoluisset, in abitu à loco illo sacrosancto,præter omnium expectationem,à Febri dimittitur,& sana atque incolumis ad propria redux de tanto à Virgine accepto munere passim apud omnes gloriatur.

Præparatio pia ad mortem.

Anno 1618. 22. Iulij.

Inuido liuore contabescant licèt Sathanici Antidicomarianitæ nostri, quòd vitam per eam,quæ veram nobis genuit vitam,postulemus & Filio DEI,in impetrandis à Patre cœlestibus donis,Matrem adiungamus: nos tamen idem sentimus,idem credimus cum D. Bernardo,cuius hæc verba: *Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum: congruum magis, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator* DEI *& hominum,homo* CHRISTVS IESVS; *sed Diuinam in eo reuerentur homines Maiestatem. Non sola illi cantatur Misericordia, cantatur pariter & Iudicium. Nam etsi didicit ex his, quæ passus est, compassionem, vt misericors fieret; habet tamen & Iudiciariam potestatem. Opus est mediatore ad mediatorem istum,nec alter nobis vtilior, quàm* MARIA. *Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed fidelis* MARIA, *quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis. Illa suggessit præuaricationẽ, hæc iniecit redemptionem. Quid ad* MARIAM *accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea,nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac & lanam. Reuolue diligentius Euangelicæ historiæ seriem vniuersam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in* MARIA, *de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quòd si (vt verè sunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris: age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sa-*

Serm. de verbis Apocal. signum magnum.

Differentia Mariæ & Euæ.

Pietas & benignitas Virginis Mariæ.

pienti-

pientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, de plenitudine eius accipiant vniuersi: captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. Hæc Virginis nostræ laudibus demodulatur mellifluus Bernardus, cuius authoritatis vel solearum protritu omne Prædicantium Luthero-Caluinisticum examen in nihilum redigatur.

CAPVT XXIV.

HYPOCHONDRIACA MELANCHOLIA, EX qua Hemicranij dolores, ac tandem Phrænesis, omnia felicissimè curata.

REX *in dextra sceptrum, in sceptro oculum gestet, quo subditos regat*; monebat huius mundi Principes & Monarchas sapientissimus ille Aegyptiorum Rex Sesostris: Et fit id quidem multò magis à Deo res humanas gubernante, & in scopum, in quem ab æterno iam collimabat, scitissimè & ordinatissimè dirigente: *sic enim*, vt S. Gregorius affirmat, *intendit hominibus singulis, ac si vacet à cunctis, & sic omnibus simul intēdit, ac si vacet à singulis.* Vnde si quid calamitatis alicui consciscat, nouit exinde tam suam, quàm Diuorum gloriam ampliare, & simul etiam afflictorum saluti prudentissimè prospicere.

Diod. Sicul. lib. 2. de rebus antiquis.

Lib. 22 Moral. cap 19.

Cernimus id in Margaretha, vxore Ioannis Prücknери Buchensis, non procul Bamberga siti viculi, modò etiam inquilini. Biennio circiter meticuloso illo, & vel folij strepitum formidante, & præcordia mirum in modum angustiante, omniaq; suspecta faciente Hypochondriæ morbo vehementissimè torquebatur. accesserant, ex insomnijs, Hemicranij dolores vehementissimi, è quibus quid aliud, quàm Phrænesis produxisset? & ea quidem tam vehemens erat, vt dum fureret, vix à sex vel octo robustissimis viris teneri posset, ferreis etiā nexibus illigata. Malum omninò humanitus immedicabile erat. Ad DEVM itaque, pro remedio, confugiendū erat; quod vt eò procliuiùs annueret, Virginis Matris tutelā sibi adhibendam vterque censuerunt. Expresso igitur coram multis voto, cum munere aliquo religioso ad VVeyerensis Diuæ domicilium, quacunque occasione infirma valetudo sineret, quamprimum commeandi, sine mora postulatis respondit euentus: Nam eodem die ægrota longè meliùs sentire cœpit, ita vt intra octiduum

Melancholiæ hypochondriacæ morbus.

Anno 1612 3. Iulij.

Serm. super verba Apocal signum magnum. Genesis 3.

MARIA serpentis calcatrix.

Item hæresum interemptrix

Supplicatio ad Virginem.

Ibidem.

Stellata Virginis corona quæ.

morbi omnes vnà cum doloribus vniuersis euanuerint, reddita toti corpori, & omnibus membris virenti quadam, & vigrosa sanitate. Quid ni igitur denuò cum Mellifluo Bernardo in laudes Virginis prosiliamus? *Ipsa est*, inquit, *quondam à* DEO *promissa Mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine caussa; sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem; Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat; alius paruulam non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius (vel post partum) viro cognitam blasphemabat; alius Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impijssimè suggillabat: sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Amplectamur* MARIAE *vestigia, mei Fratres, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur; Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim; Nempe vellus est medium inter rorem & aream: Mulier inter Solem & Lunam,* MARIA *inter* CHRISTVM, *& Ecclesiam constituta.* Et quibusdam interiectis: *Quis stellas nominet, quibus* MARIAE *Regium diadema compactum est? supra hominem est, corona huius rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis, abstinentes à periculoso scrutinio secretorum, non incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videamur, quibus* MARIA *singulariter adornatur. Siquidē in* MARIA *inuenire est prærogatiuas carnis, prærogatiuas cordis; & si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forsitan stellas duodecim, quibus Regina nostra diadema præfulgeat vniuersis. Mihi sanè singularis rutilat fulgor, primò quidem in* MARIAE *generatione; secundò in Angelica visitatione, tertiò in Spiritus superuentione, quartò in Filij* DEI *inenarrabili Conceptione: sic & in his quoque sydereum planè irradiat decus, quòd virginitatis primiceria, quòd sine corruptione fœcūda, quòd sine grauamine grauida, quòd sine dolore Puerpera. Nihilominus etiā speciali quodam splendore in* MARIA *coruscant, mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas fidelitatis, Martyrium cordis.* hæc ille. O nobilissimum diadema, quod Marianę dignitatis contradictores, licèt œstro velut perciti formicando subsiliant, è Potentissimæ huius Reginæ capite nunquam excutient, tametsi Chorœbo amentiores, qui fluctus marinos, & numerare, & reprimere ac retundere temerario ausu moliebatur, casso labore iam centies millies desudarint.

CAPVT XXV.

CALCVLI DOLORIBVS, ET AESTVANTISSIMA febris vredine prorsus exhaustus, atque ad extrema deductus Sacerdos respirat.

QVam ob caussam, inquit Saluianus Massiliensis, *multa mala in hoc mundo DEVS fieri permittat, cur nunc hac calamitate vnum affligat, & alium alia clade prosternat, noli abs me requiras. homo sum, non intelligo, secreta Dei inuestigare non valeo, & ideò etiam tentare formido, quia & hoc ipsum sacrilega genus Impietatis est, si plus scire cupias, quã sinaris. Sufficit tibi, quòd DEVS cuncta à se agi, atque dispensari testatur. Et sicut plus est DEVS, quàm omnis humana ratio: sic mihi plus videri debet, quòd à DEO cuncta in hominum salutem dirigi agnosco. Et quidni? non solùm enim homines, sed etiam apes, atque formicæ quascunque res faciunt, & antequam faciant, meditantur, & postquam fecerint, non negligunt, sed diligentissimè curant tractantque. Quis ergo tam furiosus, vt Dominum Creatorem hominum non neget, gubernatorem neget? & cùm auctorem fateatur, dicat negligere, quæ fecit? nouit igitur bonum esse homini, tribulationibus aliquando castigari, vt disciplina eius corrigatur in finem.* Hæc insignis ille, & vetustus Ecclesiæ Doctor, cui de se libentissimè subscribet, & vltrò suffragabitur Reuerendus, & eximiè Eruditus Dominus Martinus VVernerus Parochus Baunacensis, qui piè paterneque desæuientem DEI manum in se est expertus, & eam tandem Patrocinio Deiparæ Virginis auertit, flagellantemque DEVM placauit. Rei totius seriem verbotenus recito ex Epistola, quam ad me exarauit: ea sic habet ex amussim:

Lib. de prouidentia Dei contra gentes.

Prouidentia Dei omnia dirigit in suum finem.

Reuerend.me in Christo Pater ac Domine, &c.

Quot quantisque miraculis DEVS ter Opt. Max. à primis salutis nostræ exordijs ad hæc vsque præsentia nostra tempora vbique terrarum & gentium, quæ saltem veram & Catholicam fidem agnouerunt, & adhuc agnoscunt, loca, templa, ac fana quædam peculiaria cultui & honori eius dilecti Filij Saluatoris ac Redemptoris nostri IESV CHRISTI, Genitrici gloriosissimæ Virgini MARIAE destinata illustrarit, & celebria reddiderit, id non tantùm ex antiquissimis SS. Patrum, sed etiam recentioribus fide dignis scriptis historijs & relationibus manifestè liquet: Quinimmò multæ quoque structuræ, sacræ aræ, aliaque monumenta quamplurima, quibus adhuc signa mirabilium DEI operum, quæ ad gloriam & honorem dictæ Beatissimæ Virginis, & Matris MARIAE passim locorum contigêre, infixa hærent, id testificantur: Quæ omnia vestræ inprimis Reuerendissimæ Dominationi nota, & coràm multa (vti constat) proprijs eiusdem oculis visa & perspecta sunt. Cũ

igitur diuina clemētia inter reliquos Germaniæ Catholicos Principatus, etiā D. Henrici II. Imperatoris hanc Imperialem olim sedem, Diœcesin videlicet Bambergensem, varijs etiam Deiparæ Virginis gratijs, beneficijs signis & miraculis bearit, quæ quidem potiori ex parte multo iam tempore suppressa deli tuerunt; potui equidem non obscurè ex literis Reuerēdissimæ vestræ Dominationis & paternitatis ad me nuper datis percipere, quod etiam ex salutari Raphaelis Archangeli Tob. 12. cap. facta monitione, Beneficia & miracula, quæ per piarum mentium vota quibus in aduersis quibuscumque fortunæ casibus, vtpotè infirmitatibus, miserijs calamitatibus alijsque periculis ad visitationem Parochialis Ecclesiæ in VVeyer Diuæ Virginis sacræ eiusdem intemeratissimæ Dei Genitricis ope, auxilio intercessione & Patrocinio se liberatos iri confidentes astrinxerunt, tam anterioribus annis acciderunt, quàm etiānum hoc tempore & adhuc quotidie accidunt congerere, & in lucem prodere studeat & euulgare: Cùm præsertim mea non ita pridem præter omnem hominum opinionem recuperatæ valetudinis (quæ tunc temporis aliquandiu ad extremum fermè spiritum apud me periclitabatur) rationem de me exigat; quod lubens præstabo.

Aggressus est me in ipsa passionis Dominicæ sanctæ hebdomade immensus & incredibilis calculi dolor, quo per multos dies vehementissimè excruciabar, vt crudelem vesicæ rupturam mihi imminere pertimescerem. Accessit ad hoc tam graue malum febris acerrima, qua longo satis tempore correptus detinebar, quæ me adeò viribus exhausit, emacerauit ac tabefecit, vt vix ossibus hærerem: quinetiam vterque morbus nulla medicorum opera, nullisque pharmacorum subsidijs à me potuit propulsari: ita vt vita mea quid spei reliquum esse dubitarem: spem tamen adhuc in diuini Medici auxilium, sacratissimæq; Virginis MARIAE subsidium reponens, me ad peregrinationem VVeyerensem quantocius, vbi vel aliquantisper tantùm pedibus insistere possem, peragendam deuoui. Et ecce voto tali sic apud me constituto, illicò eadem hora postea melius, meliusque habere cœpi & intra paucos dies priscæ sanitati integrè sum restitutus. Votum igitur peregrinationis eiusdem ad festum Visitationis Diuæ Virginis MARIAE proximè præterlapsum, cum munusculo duorum aureorum Rhenensium vsibus & emolumentis dictæ Ecclesiæ VVeyerensis applicandorum, necnon quinque modiorum seu summerorum (vt vocant) siliginis in eleemosynas pro pauperibus conuertendorum, præuia Sacramentali confessione compleui, & optata etiamnum gaudeo sanitate.

Deo immortali, Trino & vni, vnicoque hominum auxiliatori, necnon sanctissimæ CHRISTI Saluatoris nostri Genitrici Virgini MARIAE, cuius opem per eiusdē intercessionem apud dilectissimum Filium suum, etiam in præmissa mea infirmitate, finitimoque vitæ periculo mihi succurrisse non dubito, sed ore, corde, omnibusq; ex guttis sanguineis, quæ in penetralibus cordis mei hærent, coram toto mundo profiteor, & profitebor.

Sit laus, honor & gloria DEO immortali in omne æuum. Hisce me Reuerendissimæ vestræ Dominationi humillimè commendans. Datum Bannaci, tertio

Septemb.

Septemb. Anno 1618.

*Reu.*ᵐᵃ *D.*ⁿⁱˢ *V.*ᵗᵃ

Humillimus & subiectissimus Sacellanus

Martinus VVerner, Parochus in Baunach.

Hæc vir ille, maioris inter alios Ordinis sui Sacerdotes notæ: qui ob acceptum à Diua tam luculentum, tam Incomparabile beneficium, hasce cum Diuo Cyrillo sanatrici suæ laudes pangit: *Salue per nos sancta Deipara, preciosus totius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, corona Virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templum indissolubile, locus eius, qui loco capi nequit. Salue, quæ incomprehensibilem in sancto virginali utero comprehendisti, per quam sancta Trinitas per vniuersum orbem glorificatur, & adoratur, per quam cœlum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam Dæmones fugantur, per quam Diabolus tentator cœlo decidit, per quam prolapsum plasma in cœlum recipitur, per quam gentes ducuntur ad pœnitentiam, per quam homines omnigenis beneficijs cumulantur.* Hæc ille, quocum & nos eodem Spiritu, consimili affectu, liuore tabescentibus hæreticis, applaudentibus Orthodoxis.

Homil 6. contra Nestorium.

CAPVT XXVI.

ALTERO CLAVDICANS CRVRE LORIpes puer, motus pariter, & gressus rectitudinem impetrat.

STluescit vitis, nisi putetur: vt affirmat Clemens Alexandrinus, *ita & homo, nisi assiduè tribulationum flagellis atteratur. Eorum autem, qui peccant, increpatio habet scopum salutem, DEO se concinnè pro cuiusque moribus applicante.* Hæc ille. & verè non aliud intendit DEVS nos igne afflictionis percoquendo, & velut in igne aurum aliquando, quàm bonum nostrum, vt tantò ardentiùs ad eum reuertamur, quantò flagitiosiùs ab eo recessimus peccando. Discamus id præter alia exemplo, quod paucis illthic subiungo, in quo Ioannes Rupertus Bambergensis Hortulanus, Pater Filij Ioachimi, malo velut à Magistro quopiam eruditur, ideò se afflictionum tritura vexari, vt discat, non solùm auulsum à terrenis affectum in Deum transferre, sed & vbi humana remedia deficiunt omnia, ibi potissimùm ad diuina præsidia, velut ad asylum properare, & à supremo Numinis

Pelag lib. 1. cap 8.

Vtilitas tribulationis.

bonitate quamoptimè sperare. Ecce enim, cùm filius eius dirissimam sinistri cruris inflammationem perpessus esset, & nec fomentis, nec cataplasmatibus vllis ardor ille restingui posset, insecuta est neruorum omnium tam in Coxendice & genu, quàm etiam in pede cōtractio, vt is extrorsum deformi ac fœda curuitate ab altero crure distorqueretur. Hinc notabilis abbreuiatio tendinum, & fœda claudicatio nullo sanabilis remedio. Durat miseria multis mensibus, donec tandem Pueri Parentes, ab alijs haud dubiè persuasi, cæreì pedis votiuum donum cum susceptione sacramentorum, ad virginale domicilium communi voto offerendum decernunt. Quid porrò Diua? nec suæ defuit misericordiæ, nec sibi supplicantium miseriæ opem suam subtraxit. Paucos intra dies sensim remittit illa, quæ ardorem consecuta est, neruorum coagmentatio, puer incipit ambulare, & sine omni difficultate vtroque pede, vt ante morbum, rectissimè vti; distorsio tantùm illa necdum recesserat. abeunt itaque, & votum peragunt; nouum exinde auxilium priori accumulatur. Tollitur à pede malè affecto omnis curuitas, vt nihil ampliùs inter eum & alterum discriminis inueniatur. Alloquamur itaque Virginem totius Ecclesiæ nomine pro tam eximia benignitate, cum D. Bernardo gratias agentes: *Iā te Mater Misericordia, per ipsum sincerissima tua mentis affectum, tuis iacens prouoluta pedibus, Luna mediatricem sibi apud Solem iustitia constitutam deuotis supplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amauit pra omnibus, & ornauit stola gloria induens; & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo; plena es gratiarum, plena rore cœlesti, innixa super dilectum, delitijs affluens, ciba hodie pauperes tuos, Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abraha tantùm, sed & camelis potum tribuas desuper effluenti hydria tua, quia tu verè Puella es pralecta & praparata altissimo Filio tuo, qui est super omnia DEVS Benedictus in sacula, Amen.* Quid coccyzatis? quid obstrepitis laudibus Marianis, O Battologi Pseudo-euangelici? cur saxo duriores diuinæ veritati non ceditis? quin etiam impudentissimè calumniando & mentiendo capita illiditis? Mihi credite, magno vobis constabit hæc pertinacia: Nam gehennæ pœnas millecuplo cum fœnore conduplicabit. & quid ni? nam agnitæ veritati Diabolica planè obsistitis malitia; quinimmò Spiritui sancto contradicitis & repugnatis.

Claudicatio deformis.

Anno 1618. 12. Iulij

Serm 2. in verba Apoc signum magnum.

CA-

CAPVT XXVII.

A LETHALI ET PESTIFERA FEBRI ALIVS respirat.

Eò vſque Paterna Dei cura & prouidentia ſe extendit, vt non modò orantes exaudiat ſed id etiam impleat, quod olim per Eſaiam pollicebatur: *Et erit, anteqnam clament, exaudiam: adhuc illis loquentibus audiam.* Huc pertinet & illud Dauidis: *Deus meus, miſericordia eius praueniet me* quod quidem non ad ſolam exauditionem, ſed multò magis complurium periculorum ſaluberrimam præuentionem iure optimo referendũ. Id quod apertè cernimus in Ioanne Schutzio Hohenbergenſis Municipij ſubdito, ſub Parochia VVeyerenſi. Nam ille diuturna febri, & intolerabili Cephalalgiæ dolore diu multumque vexatus, vt & omnem rationis vſum amitteret, nec quempiam è familiaribus ampliùs noſſet, & quod peius, vi morbi iam iam redigebatur ad extrema. Interea dum iacet ſine voce, & ſine motu, aliquantulum ad ſe rediјſſe ſibi videtur, exiſtimans in ſacra Virginis æde ſe conſtitutum ante ſummam aram, ſubnixum genibus ab ipſa ſanitatem, & vitæ prorogationem inſtanter efflagitare; quibus in cogitationibus euigilat, & ſe priſtinis viribus pleniſſimè reſtitutum perſentiſcit. Surgit itaque, & properat ad ſacram domum, vt gratias agat benefactrici, cuius etiamnum ſingulari benignitate conſtanti & rectiſſima valetudine vtitur, quam CHRISTO, & eius Matri Virgini meritò fert acceptam.

> *Eſaiæ 65.*
>
> *Pſalm 58.* Pericula Deus auertit, & incurſa depellit.
>
> Sanitas imaginaria viſitatione VVeyerenſis ædis reſtituta. Anno 1618. 21. Iulij.

Redimus denuò cum S. Bernardo ad deprædicãda Virginis Encomia: *Altiùs*, inquit, *O deuoti cultores Virginis, intueamini, quanto deuotionis affectu diuina Maieſtas à nobis MARIAM voluerit honorari, quæ totius boni plenitudinem poſuit in MARIA, vt proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit diuitijs affluens. Hortus planè delitiarũ, quem non modò afflauerit veniens, ſed & perflauerit superueniens Auſter ille diuinus, vt vndique fluant & effluant aromata eius, chariſmata ſcilicet gratiarum. tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, vbi dies? tolle MARIAM hanc maris ſtellam, maris vtique magni & ſpacioſi, quid niſi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac denſiſſimæ tenebræ relinquãtur?* Ita eſt, vt adſtruis S. Pater Bernarde. Sed quid plura? Cum S. Hieronymo indubitanter profitemur: *Non dubium eſt illam, quæ meruit pro liberandis ferre precium, poſſe libertatis impertiri ſuffragium.* Ne te ergo, quiſquis diuinæ opis es indigus, Logo-Dædalorũ Euangelicorum inſanis ac futilibus nænijs à Virginis Patrocinio ſinito abſterreri.

> *Ser. de Virg. natiuitate.*
>
> *Epiſt. 2. de Aſſumpt. Virg. tom. 9*

CAPVT XXVIII.

INFANTVLVS EPILEPSIA ASTANtium iudicio iam planè extinctus ad vitam reuocatur & ſanitatem.

AVdio S. Gregorium inſuſurrantem; *Qui benignè hominem condidit, nequaquam iniuſtè cruciari permittit: nec ſinit neglectum perire, quod eſt, qui hoc etiam, quod non fuit, creauit, vt eſſet.* Quod vt verum ſit de omnibus adultis, maximè tamen quadrat in paruulos, quos præter propria demerita, quæ abolita originali labe, nulla habent, ob Parentum culpas, aliaſue cauſſas eius inſcrutabilibus conſilijs, ac iudicijs non ignotas haud rarò grauiſſimis dolorum cruciatibus agitari permittit. Quidquid enim de cætero ſubſit, diuinæ illius Maieſtatis gloriæ effectus nunquam non exinde elicitur & deriuatur.

Greg. lib. 26. Moral. cap 10. Cur diuina Prouidētia paruulis baptizatis morbos immittat.

Caſum pono Georgij Iegeri Ebermanſtadienſis ciuis, ac Balneatoris Filiolum infantulum, quem hiſce in partibus apud paruulos inprimis nō infrequens epilepſiæ morbus continuis diebus & noctibus ita torſerat, vt ingraueſcente tandem Paroxiſmo, nigrore obductus lurido, totus rigens membris omnibus animulam innocentulam iam iam efflaturus videretur. Mœſti ergo Parentes, & omnis alterius ſolatij expertes, ardentibus ad DEVM precibus recurrunt, ac tandem diuinitùs inſpirati votum pro Filiolo Diuæ Præſidi VVeyerenſi deferunt. Res mira: vix animi ſenſa conceptumque votum ore expreſſerant & ſubitò adeſt fructus, quem voto reſpondere exoptabant. Eodem momento è corpuſculo Infantuli vt putabatur, iam demortui ſubducit ſe lethalis ille horrido atrore ſuffuſus pallor, roſeus labiorum, & viuidus faciei color, vitalis prænuncius caloris, certatim erumpit, & puerulus ab omni deinceps morbi aggreſſu liber & immunis in hodiernum diem protinus reuiuiſcit.

Epilepſiæ malum apud infantulos frequens in partibus iſtis.

Anno 1618. 6. Auguſti.

Illuſtre ſanè, ſiue beneficium miraculoſum, ſiue beneficum Miraculum, & æterna memoria, commendationeque concelebrandum. Quare cum S. Bernardo Diuam noſtram verbis hiſce affamur: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per MARIAM: hæc, inquam, voluntas eius eſt, ſed pro nobis: In omnibus ſiquidem, & per omnia prouidens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus ad folia fugiebas? IESVM tibi dedit Mediatorem, quid non apud talem Patrem Filius*

Serm. de Virginis natiuitate.

Mater Mediatrix noſtra apud Filium.

lius talis obtineat? exaudietur vtique pro reuerentia sua: Pater enim diligit Filiū. an verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absq; peccato, vt misericors fieret. Hunc tibi fratrem MARIA dedit. sed forsitan & in ipso Maiestatem vereare diuinam, quòd licèt factus sit homo mansit tamen DEVS. Aduocatum habere vis & ad ipsum, & ad MARIAM recurre. Pura siquidem humanitas in MARIA non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ: Nec dubius dixerim: Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potestne filius aut repellere matrem, aut sustinere repulsam non audire, aut non audiri filius potest? Neutrum planè: Inuenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum feliciter semper hæc inuenit gratiam, & sola est gratia, qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam sicut Salomon, non diuitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua saluamur. Quid nos alia concupiscimus fratres? quæramus gratiam & per MARIAM quæramus: quia quod quærit inuenit, & frustrari non potest. Hucusque vir sanctus. Sed quid vobis videtur, O Polymitarij, & Plastæ conuitiorū in Diuam nostram & alios cœlites? quid laceris retibus vestris è veritatis fundo expiscamini? nil nisi confusionem & ignominiam sempiternam.

CAPVT XXIX.

ALIVD FERE SIMILE SVPERIORI DE ALIA Paruula siue in viuis seruata, siue à mortuis excitata.

QVemadmodum omnia latissimæ arboris folia vsque ad extremum eius ramusculum, qui per tot interualla separatur, ac distat à radicē, virtutem tamen & pulchritudinem, vigorem ac fœcunditatem ab ea, ramis mediatim intercurrentibus, ex ipso trunco sugunt ac mutuātur: sic etiam quæcunque siue prosp ra, siue aduersa hominibus eueniunt, non fortuito casu sed potiùs licèt multiplices causæ mediæ interueniant, gubernante ac dispensante diuina Numinis prouidentia, destinato consilio contingunt atque adeò nec paruulis innocentibus hæc DEI cura & prouidentia denegatur, quos absque sua culpa doloribus in hac vita tentari sinit. id enim potissimùm fit, vt inde emergat gloria diuinæ Maiestatis, vt paullò antè iam dictum.

Simile

Aduersa non accidunt hominibus fortuitò, sed disponente diuina prouidentia.

Sic Vdalrici VVeberi Cauerndorffensis prope Forchemiam filiola Margaretha mēsibus aliquot Epilepsiæ cōuulsionib. lachrymabili spectaculo emacerata, tādē supra modū atrociter inualescēte malo omninò exanimata credebatur, cū totū ei⁹ corpusculū cadauerosо pallore obductū, palpātiū manib. & rigeret, & omnis expers natiui caloris extremè frigeret.

Paruula creditur defuncta.

vicinis ergo sepulturam, & funeralē elationem suadentibus, Parētes Deū per Virginis Matris intercessionem impensiùs inuocant, ac Donum etiā profectione pia ad VVeyerensem Virginis domum instituta sese apportaturos pollicentur, dummodò Filiola incolumis, & sana illis restituatur. Non cecidere in irritum preces: nam cùm primùm ad paruulæ lectum accurrissent, & fascias, quibus iam ad sepulturam inuoluta erat, extricarēt, calentem, viuido colore spirantem, ac viuam offenderunt. Confirmauit miraculum reuocationis ad vitam emansio epilepsiæ: nam nec minimum huius morbi indicium in ea deinceps comparuit, sed firma sanitas stabilē in ipsa hodierno etiamnum die sedem fixit.

Miraculum resuscitationis paruulæ alio miraculo roboratur. Anno 1618. 19. August.

Paulisper itaque & huius beneficij memoriam recolentes in Aduocatę humani generis laudes cum S. Augustino excurramus, vt eius deuotione vtriusque sexus fideles inflammentur: *Facta est MARIA fenestra cœli, quia per ipsam verum Deus fundit sæculis lumen. Facta est MARIA scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terram, vt per ipsam queque homines ascendere mereamur ad cœlum: Facta est MARIA restauratio fœminarum, quia per ipsam ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Maledicta Eua fuerat, quam nunc credimus per MARIAM ad benedictionem gloriæ remeasse: Proijcite Virgines dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum MARIA suscepit honores, assumite. Venite Virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parientes ad parientem, venite matres ad Matrem, venite lactantes ad lactantem, venite Iuuencula ad Iuuenculam. Ideò omnes istos cursus natura Virgo MARIA in Domino nostro IESV CHRISTO suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorum nouus Adam recuperat, Dominus IESVS CHRISTVS.* Ita ad Virginis cultum hominibus persuadendum ore suo sanctissimus Pater Augustinus.

Serm. 15 de tempore, qui est de natiuitate. Maria fenestra & scala cœli.

Longè diuersa & sentiunt, & loquuntur de MARIA Domini Matre benedicta, qui Luthero-Caluiniani Euangelij tenasmo titillantur: Nam vt hæresis nunquam non supernè ad infima tendit:

Ad generum, inquam, *Cereris, nigrasque Acherontis ad vndas:*

Sic qui eius funem trahunt, ad vnum omnes quidquid de Virgine gloriosum, illustre, eximium dici potest, & iure merito debet, id sic deprimunt, sic extenuant, vt augustissimam hominum & Angelorum Reginam infra nefarias etiam fœminas collocent, vt seminis sui originem apertè prodant.

CAPVT XXX.

HERNIOSVS, CERTATIM EFFLVENTIBVS aluo visceribus, extremè de vita periclitans tandem incolumis euadit.

RES magni momenti ex fortuitis quibusdam & accidentalibus, vt Philosophis loqui mos est, occasionibus, Deo sic volente, ortum quandoque ducunt: Videre id est in honorato Ciue Bambergensi, Ioanne Körbero. Is Ramice, & diaphragmatis circa Ilia non mediocri ruptura iam pridem laborabat. Contigit porrò, vt canalem stillicidialem longitudinis plusquam viginti pedum è querno robore pro domo sua necessitas parare impelleret. Hunc iam à Fabro lignario absolutum, & interiùs pice oblitum ille vnà cum seruo vnico in humeros sublatum eò baiulauit, vbi machina tractoria, vel potiùs sucula, mediante ductario fune, ad tecti fastigium eleuandus esset. Verùm, dum sub tanto pondere, anhelitum violenter supprimendo, difficulter progreditur, sentit infernè ventris fracturam maiorem in modum dilatari, totamque viscerum congeriem, vnà cum vesica, foras protrudi. Lustrata igitur à rerum peritis immani apertura, è loculis intestina interiora omnia diffluxisse, ac prorupisse cernebantur. Adhibita mille fomenta, vnguina, ligaturæ, balnea, vt vi excussa introrsum adigerentur: sed frustra. euocatur è longinquo peritissimus istiusmodi morborum Chirurgus; adhibet ille omnia artis suæ experimenta; sed incassum. Desperauerant iam de vita hominis omnes Medici Bambergenses; desperauit & iste, aliunde haud exiguo precio conductus. Nam effusa intranea omninò indurauerant, & vredine planè irrestinguibili, nullisque pharmacis refrigeratorijs cedenti succensa exardescebant. Breui itaque ex hac vita decessurum se suspicans, disponit domui suæ, peccata confitetur, sacrum accipit viaticum, oleo infirmorum vngitur, & in horas præ foribus pulsantē expectat mortē. Inuisi eum non rarò, cùm subsit animarum, cui præsum, curæ, vidi miserias, agnoui vitæ periculum. Incidit tandem mentio spectatissimorum Diuæ VVeyerensis auxiliorum, varijs hominibus, in summis etiam & ad restim, atque triarios redactis necessitatibus, collatorum. Hinc ille ardenti quadam fiducia inflammatus, Ah Domine IESV, inquit, per Benedictæ Virginis Matris tuæ preces me quoque in extrema ista calamitate mea exaudi. En voueo tibi, & Matri tuæ peregrinationem, cum donario eius honori dicando pro meis facultatibus, quàm primùm sacram

Herniæ morbus.

Humana media frustra tētata.

eius memoriam VVeyerensem potero visitare. Nec caruit petitio optata concessione, nec votum effectu suo defraudatum. Nam ex illa hora meliùs sensit; eadem nocte, cùm præcedentes omnes duxisset insomnes, quietè dormiuit, & manè euigilans extrusa viscera in ventrem rediisse comperit. Conualuit, è lecto surrexit, ad Diuæ VVeyerensis templum, vti promiserat, perrexit, & modò, vt Dei perfecta esse opera vel isthinc agnoscas, absque vllo rupturæ defectu saluus & incolumis perseuerat, & quibuscunque expiscantibus tantam Virginis Patrocinio acceptam gratiam magnificè deprædicat atque commendat.

Contigit anno 1618

Sit ergo tibi, ô virgo gloriosissima, super afflictis, cum S. Augustino instanter supplicamus, & obtestamur, *compassio, sit pius affectus super Cælorum peregrinis. Et cùm lætantem te semper aspicis, fletus nostros, quæsumus, ipsa ad Deum admittas. Nos enim adhuc in terra affligimur, persecutionem patimur, iniurijs lacessimur, esurimus, sitimus, in carcere retinemur. Tu verò in cœlestibus regnis prælata es cunctis Virginum Choris. Tu Agnum, quocunque perrexerit, sequeris. Tu in illa Beatorum felicissima regia primi ordinis dignitatem adepta inter Paradisi amœnia flores immarcescibiles carpis. Te ipse Rex Regum, vt matrem veram & decoram sponsam, præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat. Nec mirum si dignetur id facere* DEVS *regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum toties osculata es in terris.* Et nos addimus: *Fac eum interuentu tuo nobis perpetuò Clementē, & Propitium, iam omnipotentem ac regnantem in Cœlis. Amen.*

Serm. 2. de Assumpt. Virginis. Aspiratio deuota ad Virginem.

Vobiscum hic iterum res erit, ô Popinarij Euangelici, qui vt mendacijs & lædorijs, & veterum iam pridem damnatarum hæresum paradoxis, milleq; quisquiliarum assumentis Euangelij vestri Centonem fartū, vnà cum mendaciorum omnium, quæ in Catholicos, immò & in Diuos & cœlites, vel ab ipso Cacodæmone vnquam excogitari potuissent, mille coloribus variegatim subducta fœderatura politissimè sanè, & ad visendam pulchritudinem consuistis; non secùs, ac si quis holoserica, byssinaque iam pridem in fimeto putrescentia reiectamenta hinc inde collecta, luto & argilla in vnum conflans, amiculum sibi inde conficiat, quod insuper blasphemiarum omnium, quas in Deiparam Virginem Nestorius, Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, similesq; sacrilegi vnquam effuderūt, veluti lacinia opere Polymitario egregiè fimbriatum in quibuscunque verbi vestri declamationibus ridiculè ostentatis, & eo velut laruati comparetis: sic omnia Virginis nostræ beneficia & miracula scommatibus, ac planè scurrilibus dicterijs quæ agyrtis potiùs & mimicis ludionibus, quàm verbi, vt salutari auetis, Concionatoribus ad perpendiculum quadrent, exploditis, subsannatis, exsibilatis. Dicite obsecro, quid in hoc, quod exposuimus, euidenti curationis præternaturalis spectaculo reperietis, vbi Leoninos, immò & Lupinos dentes vspiam defigatis? res

Lutheri Euangeliū ex variarum hæresum damnatarum Paradoxis consarcinatum. Simile.

in se clara est: viuit qui beneficio est affectus, viuunt Domestici, Cognati, Vicini; viuunt Medici, qui vulneris aperturam, ac viscerum erupturam suis met oculis intuiti, omninò incurabilem censuerunt; superstes adhuc est Chirurgus peritissimus, è Kreusensi Marchionatus Brandenburgici superioris Oppido Bambergam euocatus, homo factionis etiam Lutheranæ, qui adhibitis quibuscumque Pharmacis omnem operam ludi videns, Hernioso nostro intra paucos dies moriendum esse, non me solùm, sed & multis alijs præsentibus, condixit: Et cùm subitam morbi in melius consecutam Catastrophen vidisset, grande præter naturam miraculum id esse palàm est professus. Cessate igitur, verè verbi Lithotomi, cessate Locutolei Zoili morsicationibus edentulis diuina isthæc signa & prodigia summo vestro cum dedecore posthac infestare.

CAPVT XXXI.

MIRACVLVM INSIGNE SVSCITATIONIS PVERI, apertè iam ante horas aliquot defuncti.

CLAVSVRVS miraculorum Virginalium syluã, omitto alia quamplurima, quæ ex Actuarijs VVeyerensis Ecclesiæ iam denarratis affinia huc quoque transferri potuissent, ni breuitatis potiùs, quàm prolixitatis amor, & tuum, ô bone lector, tædium vetaret. Vnum tamen, præ multis alijs, augustius & luculentius, non verbis equidem meis, sed è publicis tabulis à Notario confectis, verbo ad verbum latinè reddito vberioris fidei caussa huc transcribere non grauabor. Id autem sic habet:

Hodie, qui erat decimusquintus Octobris, Anno millesimo sexcentesimo decimo octauo, Steinaci in domo Quæstorali Ill.mi & Reu.mi Principis ac Domini, Domini Ioannis Godefridi, Episcopi Bambergensis, & Herbipolensis, Franciæ Orientalis Ducis, &c. in hypocausto anteriori, fontem publicum, & oppidi portam spectante coram Reuerendis & Eruditis Dominis Vdalrico Faulmullero, Parocho ibidem, & Andrea Episcopio, Parocho VVeyerensi, necnon etiam coram Ornatissimis viris Ioanne Franckenbergero, Quæstore Steinacensi & Sebastiano Langio Leogastensi, Friderico Schrammio Steinacensi, Præfectis & Iudicibus, in mea Notarij infrà subsignati præsentia comparuit Matthæus Ecklius, publicus Scriba, & Organista oppidi Kupfferbergensis, cum Barbara coniuge sua, & Filiolo Friderico, iam decimum quintum annum agente. Hunc nobis omnibus præsentarunt, & simul

etiam clarè, ac sine ambagibus proposuerunt: Quemadmodum die quodam Veneris, Mensis Iunij, præterlapsi millesimi sexcentesimi decimitertij anni, prædictus eorum Filius Fridericus manè paullo diutiùs in lecto hæsisset, vnde ipsi per Sororem eius Euam, Filiam itidem suam eundem excitari, atque vt ad scholas sese expediret, admoneri curauerint: qui cùm surgere se velle ostenderet, ad sororem dixit hæc verba: Eya Eya soror, vexillum è turri decidit, (vertumnum indicans) & domum nostram prosternit. Quibus verbis prolatis, Puer conticuit. Exigua interiecta mora, redijt Soror, & denuò, vt surgat, parentum iussu paulò acriùs obiurgat; at ille rursum in hæc verba prorumpit: vexillum de turri cecidit, & totam domum nostram prostrauit, iterumque consiluit, nec vllum ampliùs verbum prolocutus est, nec manum aut pedem mouens, sensus, loquelæ, & auditus omnis expers, ita vt nec halitus vitalis in eo sentiretur, corde solummodo breuiusculo tempore aliquantulum palpitante; sed id paulò pòst cum pulsu etiam omninò conquieuit. Atque ita sex integris horis iacuit indubitatè mortuus. Ea de caussa, horis illis iam propè exactis, Parentes Pueri tum temporis loci Parochum, Magistrum Ioannem Fischerum, & Laurentium Pantzerum, Ciuem ac Sartorem Kupfferbergensem ad se vocarunt, & vtrique subitaneum Filij sui ex hac vita decessum non sine affluentissimo lacrymarum profluuio significarunt. Credebat vterque Apoplexia tactum è viuis esse desijsse, nec à scopo aberrabant.

Puer Apoplexia è medio tollitur.

Accurrens nihilominus Pantzerus, quem diximus, ad lectulum, in quo exanimis iacebat puer, existimans, animi forsitan spasmo, aut mentis deliquio eum teneri, ideoque in faciem eius aquam & acetum, vinum itidem aliaq; fomenta, quæ sors & occasio temporis suppeditabat, inspergit; sed quicquid spargeret, ageret, quateret, vellicaret, fomentaret, nullum planè, vel exiguum vitæ indicium, aut signum apparebat. Quin potius totum pueri corpusculum instar ligni obriguerat. Desperato igitur omni humano auxilio, cadauer, vt erat rigidum, & immobile, instar trunci, brachijs excepit, atq; in hypocaustum, præsente Parocho, deportatum, recenter loto indusio, vestibusque induit, & more Patrio ad sepulturam composuit, ac præparauit. Interea Parochus iam tum instante meridiano tempore ad Ecclesiam properat, diuinum celebraturus Missæ sacrificium, quod alioqui, ni casus interuenisset, pro infirmo Puero decreuerat offerre. Insequitur eum mœstus Pueri parens, & sub Diuino officio, dum CHRISTVM Dominum in sacræ hostiæ eleuatione adoraret, sicut & afflicta mater, quæ domi apud nati exuuias remanserat, sacrosanctam Præsidé VVeyerensis Basilicæ intimo cordis affectu & flebili prece instanter inuocant, & suppliciter obtestantur, cùm eius Filio

Nullum in eo vitæ signum apparet.

omnia

omnia ſint factu poſſibilia, & nihil ſit, quod ipſa interceſſione ſua apud eum efficere, & impetrare non poſſit, vt ſuum ſibi reſtituat Filiolum rediuiuũ, & ſanum: quod ſi beneficium impetraſſent, vouebant, ſe cũ honorario ſacro, & precibus deuotiſſimis puerũ illico ad arã eius prȩſentaturos.

Fit votum pro eo à Parentibus.

Cùm verò, finito officio, parens domum reuertiſſet, & vnà cum vxore calentes vterque ſine ceſſatione fundentes lachrymas, & vota ad Diuam humani generis communem opitulatricem iterantes vſque ad medium duodecimæ tempore meridiano perſeueraſſent, venit Georgius Tulpius Senator Ciuicus ſolatij cauſſa eos inuiſens, & ad Pueri Cadauer accedens, formalia hæc potulit verba: Eia chariſſime Fridericule, ſi iam rediuiuus ſurgeres, quanto gaudio afflictiſſimos Parentes tuos recreaturus eſſes? vix quarta pars horæ deinceps elapſa erat, cùm præfatus Tulpius iam abierat, puer in lecto Hypocauſti iacens ſeſe erigit, attonitisque Parentibus, & vix præ gaudio ſe ipſos capientibus, in hæc primùm linguam reſoluit verba: ô chariſſima Mater quàm eſurio: ac ſtatim ſubiunxit: adibo ſcholas, quota iam eſt hora? ſubticentibus adhuc Parentibus, & ſe mutuò intuentibus, tertiò addidit: Agedum Pater, eundum eſt nobis ad Dominam noſtram in VVeyer. Subiunxit Mater: Ah chariſſime Filiole, nimis adhuc debilis es, poſt duos treſuè dies adducemus te in VVeyer ad Dominam noſtram, cui te voto peregrinationis obſtrinxi; quòd ſi ambulare nequiueris, meis te humeris baiulabo. Poſt hæc verba puer vltrò ſurrexit, veſtes ſuas compoſuit, menſæ accubuit, & prandium more ſolito cum Parentibus & tota Familia ſumpſit, interea ſanus & incolumis, in qua optimè conſtituta valetudine hodiernum adhuc in diem eum perfrui aſſerebant, & qui præſentes erant, coràm ſpectabant, immortales Deo & Matri eius benedictæ gratias agentes.

Puer ad vitam redit.

Cùm autem tanti miraculi relationem non ſolùm ſæpedicti pueri Parentes, ſed & vnà cum illis Laurentius Pantzer & Martinus Gottinger, opificio ſutor, ciues Cuprimontani, qui audito rumore de Puero exanimi in lecto reperto, aquam roſaceam, & alia ſecum afferens fomenta, eum refocillare conabatur, ſed nullum in eo vitæ indicium reperiebat, quem tamen poſt multas horas reuixiſſe viderat, corporali præſtito Iureiurando vno omnes ore vnanimiter in circumſtantijs omnibus conſentientes aſſeuerarint; & inſuper tum temporis Parochus M. Ioannes Fiſcherus, Chirographo & ſigillo ſuo 13. Octobris anni currentis dato, tanquam oculatus, & omni exceptione maior teſtis, omnia ſuperiùs enumerata etiam roborarit, & veriſſima eſſe conteſtatus ſit; Ego quoque infraſcriptus Notarius ad hoc à principio nominatis Dominis officij ratione requiſitus, annotaui, & in formam publici inſtrumenti redegi, atque in euidens rei teſtimoniũ manu mea & nomine ſubſcripſi,

scripsi. Actum die, mense & anno, quibus suprà.

Ioannes Pangratius Fischer, vtriusq; Authoritatis Notarius Publicus, necnon Poligraphus Stattsteinacensis, hæc annotaui, & in fidem vberiorem subscripsi.

Testimonium M. Ioannis Fischeri, Parochi, de Puero defuncto, & reuiuiscẽte.

Parochi verò sæpè memorati testimonium sic habet, redditum quoque de verbo ad verbum:

Cùm honestus & spectatus vir, compater meus, Mattheus Ecklius Scriba Senatus atque Organista Oppidi Kupfferbergensis die Veneris 12. Octobris, anni præsentis 16 8 ad me venisset, & me rei ante quinquennium gestæ cum Filio suo Friderico, qui subitaneo morbo huic vitæ subductus fuerat, commonefecisset; Quia ego omnia adhuc ita recenti memoria seruo, ac si heri primùm contigissent, hoc manu mea scriptum, & sigillo roboratum testimonium volui dare, veraciter atque constanter affirmans prædictum Puerum die quodam manè, cùm Pueri scholas frequentare cõsueuerunt, subitò obmutuisse, & penitus expirasse, atq; exanimem iacuisse. quo viso territi parentes, & Soror, ad me tunc Parochum miserunt, mihiq; luctuosissimum & funestissimum casum lachrymabundis oculis recensuerunt. Accessi & ego Puerum; sed nec vox, nec motus, nec calor, aut vllum vitæ signum in eo comparuit. Deo itaque rem commendandam suasi, & sacrum etiam pro Puero me oblaturum promisi; sub quo parentes votum fecerunt ad Dominam nostram in VVeyer, post quod circa meridiem DEVS auxilium suum euidenter ostendit, & Puer saluus & sanus surrexit, ac nobiscum toto illo vesperi mensæ accubuit, comedit & bibit, ac si solùm è profundo somno euigilasset. Quod ipsum ad stuporem vsque omnes admirabundi suspeximus, Deo ac benedictæ Virgini Matri æternas grates persoluentes. Datum Northalbi, 13. Octobris, Anno 1618.

M. Ioannes Fischer Parochus ibidem.

Hæc omnia ad sensum pariter & verba ex Autographis vernacula lingua nostra conscriptis magna sunt, & in se obstupescenda, nec vlla indigent aliorum verborum exaggeratione.

Serm. 1. in Antiph. Salue Regina. Virgo diligit se diligentes.

Laudes itaq; Dei Matris Virginis, quàm possumus ardentissimo zelo cum S. Bernardo deprædicantes fatemur: *Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & prope est in veritate inuocantibus se, præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate, & totã spem suã (post filiũ suum) in ea posuerint,*

& toto

& toto corde quæsierint; data est ei potestas in cœlo & in terra, & in manibus eius vita & spiritus nostri, & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam gratiæ, qua plena est, in tempore opportuno. Origo fontium & fluminum, Mare virtutum sanctarum. Auctrix MARIA. *Ad eam non incongruè dicitur: Quàm bona Domina Israhel his qui recto sunt corde? Salue Regina misericordiæ; iustè Regina mundi, & Regina cœli dicitur, per quam vtriusque Creator, & Rector generatur. Regina gloriæ, nomen est honoris, magnificentiæ, & decoris, dulcedinis ac Pietatis, amoris & honorificentiæ, sublimitatis & Potentiæ, gubernationis & Iustitiæ, defensionis & gratiæ. Possumus etiam sic intelligere, quòd Regina misericordiæ dicitur, vt soli tribuamus Diuinæ misericordiæ. & non meritis, quòd ipsa super omnem creaturam ipsa sanctitate ac dignitate praecellens, Regina vocabulo & honore sublimatur. Ampliùs etiam in hoc conuenienter vocatur Regina Misericordiæ quæ diuinæ Pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum Patrocinij sui suffragia præstet.*

Dispensatrix gratiæ.

MARIA Regina.

Regina & Mater misericordiæ.

Pergit vlteriùs vir sanctus: Vita, dulcedo, spes nostra salue: *Ordo pulcherrimus; dulcedinem vita præcedit. spes sequitur, non enim sapis, nisi viuas; nec sperabis, nisi viuas, & sapias. Ipsam Reginam Misericordiæ, vitam ac dulcedinem nostram dicimus, quia per ipsam speramus, nos posse consequi, quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri. Primò ponit vitam, quæ est in integritate virtutum; secundò dulcedinem spiritualium gaudiorum; deinde spem infert æternorum. Omnia hæc Regina misericordiæ contulit mundo.*

Vita, dulcedo & spes nostra.

Et infrà: *Si lingua centum resonarent, oraque centum, ferrea vox mihi,* MARIA, *nihil dignum tibi dicere possem, stella Maris. Eleuata est magnificentia tua super cœlos, & super omnem terram gloria tua, ita vt nec in cœlo inueniatur creatura pura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim, nec in cœlo, nec in terra inuentus est dignus aperire librum prærogatiuarum tuarum, & dignè soluere septem signacula eius, plenitudinem gratiæ, aduentum Spiritus Sancti in te, virtutis altissimi obumbrationem, verbi conceptionem, quòd sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? viri divitiarum multi de ciuitate Domini virtutum miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinē diuitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia inuestigabiles viæ istæ. Conati sunt, & non datum est vltrà, dum adhuc ordirentur, succisi sunt; licèt currerent omnes in odorem vnguentorum tuorum, curremus & nos in odore isto. trahe nos post te, sub vmbra alarum tuarum nos protege, ad te enim clamamus exules Filij Euæ.*

Eodem sermone.

Stella Maris

Apoc. 5.

Ibidem eodem sermone.

Ad te clamamus exules Filij Euæ.

Et infrà: *De hoc exilio, ô Sācta sanctorū, ad te clamamus exules, vt interuētu tuo, ducatu tuo, adiutorio tuo possimus ad cubiculū veritatis repatriare; scimus procul*

dubio, quia nihil ampli⁹ habet homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat, ſub ſole, niſi vanitatē: & tamen praua conſuetudinis nexibus irretiti, per nos redire non poſſumus in veritatis libertatē, & amorē virtutis. Et nos adhuc Filij Euæ tranſgreſſores, Filij inobedientiæ, Filij matris antiquæ: Ad te clamamus, Regina miſericordiæ, reuertere, viſitans in nobis naturam tuā: reuertere, oſtendendo charitatem tuam, reuertere per datam poteſtatem tuam, per gratiæ prærogatiuam; vt intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia, medentem contritis corde, ponentibus fortitudinem lugentibus Sion, vandem coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris; ſonet hæc vox tua in auribus noſtris: vox hæc tua dulcis, & facies tua decora; Nam in illo decore tuo te videre, quo induit te Dominus fortitudinem, non eſt huius temporis vita noſtra vitiorum fœtere ſordentis. Stola immortalitatis te indutam videre indigni ſumus; oſtende nobis faciem miſerationum tuarum, & ſalui erimus.

Serm. 3. ſuper ſalue Regina.

Alio etiam ſermone, in idem Eccleſiæ Canticum ſic laudes Virginales demodulatur:

> In freta dum fluuij current, dum montibus vmbra,
> Luſtrabunt, conuexa Polus dum ſydera paſcet;
> Semper honos, Nomenquę tuum, laudeſquę manebunt.
> Spes mea Virgo pia, Virgo ſacra, Virgo MARIA.

Laus Virginis indeflectibilis. MARIA Firmamentum. Omnes honorum tituli MARIAE dignitati congruentes.

Et non ampliùs? ampliùs multum, & per omnem modum: nam in æternum & vltrà non deficiet laus tua de ore hominū, etiam & Angelorum. fiat firmamentum. & diuidat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentū, tu Domina, quæ Dominum cœli concepiſti, portaſti, & non defeciſti. Tu in medio aquarū diuiſiſti aquas ab aquis affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Poſuit Deus in hoc firmamento Solem & Lunam, Chriſtum & Eccleſiam, & ſtellas prærogatiuas gratiarum multas. Non ſolùm Cœlum dicitur, ſed & Tabernaculum Dei, vrna aurea; Ipſa Sol, ipſa Luna, & ſtella matutina, Aurora, Lucerna, Tuba, & Mons, Fons quoque hortorum, & Lilium conuallium. Deſertum ipſa, & terra promiſsionis lacte & melle manans. Nauis quoque, quia in mari; Vinea, ager, apotheca, Turris, Caſtra, Acies, Regnum, Sacerdotium, Ouis & paſcua eſt, & Paradiſus, Palma, Roſa, Fluuius eſt, Potus eſt, Columna eſt, Veſtis eſt, Margarita eſt, Candelarum, Menſa, Corona, Sceptrum, Panis, Vinum, Oleum, Arbor, Virga, Cinnamomum; Balſamum eſt, Soror & Mater eſt; Propter hanc totus mundus factus eſt, Deus homo, factus eſt Deus humilis, & homo ſublimis. ad te ergo talem & tantam ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle.

Serm. 4 in Antiph. ſalue Regina.

Et rurſum: Si vultum tuum deprecabuntur, Virgo ſacra, omnes diuites plebis: quantò magis pauperes plebis? & ſi pauperes plebis, multò magis egenus & pauper, opprobrium hominum & abiectio plebis.

Antè

Antè pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm tuus è nostro labatur pectore vultus.

Virgo Dei Genitrix, tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum; vultum tuum Domina requiram. — Psal. 26.

Et paulò pòst: *Spiritus sanctus facere in te sua opera magnificauit. vnum erat, dum dignam te fecit, quæ DEI Filium concipere posses, & parere. Alterum, quando ex tua carne sancta carnem Filij Dei formauit. Nam de te dictum est: Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. nasus duo habet foramina, per quæ spiritum à capite emittit. Ita tu Domina virginitate & humilitate tua de cœlo eduxisti filium DEI, spiritus oris nostri, dicente Propheta, Christus Dominus; Tu similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma grauitate, turris es Libani; Libanus mons, qui dicitur dealbatus, altā supra omnib. signat innocentiā tuam, tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum, te benedixit Dominus, vt per te vita benedicta veniret, sicut mors per Euam processerat maledicta. Turris es ædificata cū propugnaculis: ab ineunte enim ætate dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatem; quare delectatio Iustitia odiumquè iniquitatis; cum quibus creuisti, tua fuêre propugnacula. His visis hostibus certè suspecta fuisti. Non enim parùm formidabant, ne fortè tu esses, quæ & eras, per quam expugnandi erant, & damnandi. propter quod & terribilis fuisti eis, vt castrorum acies ordinata. Nihil verò omninò profecit inimicus in te eò, quòd mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium: nihil est enim virtutis, quod ex te non resplendeat, & quicquid singuli habuêre sancti, tu sola possedisti. Lectulus es Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israhel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, protegentes omnes, qui in memoria tua iugiter requiescunt.* Hæc hactenus ex ore & calamo S Bernardi, quibuscū miraculosorum Deiparæ beneficiorum enarrationem hac vice claudemus, donec plura, & fortè his non inferiora, quæ hinc inde apud vicinos Lutheranos, ijs quoque, qui à recta fide nostra cœlo soloque, ignoranter tamen, & ab erraticis concionatoribus persuasi, impudenter aberrantes, at nihilominus MARIAE Patrocinia summo in gradu reponunt, iam quidem salutifero complurium bono obtigerunt, verùm à Nugiuendulis quinti Euangelij Ministris ex inuidia Diabolica malitiosè supprimuntur, donec ita disponente Deo in apertam lucem producantur; vt enim iam millenies millies probata liquet experientia, non diu fucata persistunt, sed facilè patescunt: & ingenti studio compta cæsaries exiguo ventorum flatu haud raró turbatur, fœdissimeque dissipatur. nostri æui hæreses omnes luculētissimum de se præbent exemplum. Euanescunt illæ, Virginis cultus & honor toto terrarum orbe quotidianis propemodum signis & prodigijs

Marginalia: Eod. serm. — Maria nasus & turris Libani. — Cantic. 7. — Cantic. 4. — Thren. 4. — Gen. 27. — Maria terribilis castrorum acies ordinata. — Simile.

CAPVT XXVIII.

INFANTVLVS EPILEPSIA ASTANtium iudicio iam planè extinctus ad vitam reuocatur & sanitatem.

Greg. lib. 26. Moral. cap 10. Cur diuina Prouidẽtia paruulis sæpe ȝ itis morbos immittat.

AVdio S. Gregorium insusurrantem; *Qui benignè hominem condidit, nequaquam iniustè cruciari permittit; nec sinit neglectum perire, quod est, qui hoc etiam, quod non fuit, creauit, vt esset.* Quod vt verum sit de omnibus adultis, maximè tamen quadrat in paruulos, quos præter propria demerita, quæ abolita originali labe, nulla habent, ob Parentum culpas, aliasue caussas eius inscrutabilibus consilijs, ac iudicijs non ignotas haud rarò grauissimis dolorum cruciatibus agitari permittit. Quidquid enim de cætero subsit, diuinæ illius Maiestatis gloriæ effectus nunquam non exinde elicitur & deriuatur.

Epilepsiæ malum apud infantulos frequens in partibus istis.

Casum pono Georgij Iegeri Ebermanstadiensis ciuis, ac Balneatoris Filiolum infantulum, quem hisce in partibus apud paruulos inprimis nõ infrequens epilepsiæ morbus continuis diebus & noctibus ita torserat, vt ingrauescente tandem Paroxismo, nigrore obductus lurido, totus rigens membris omnibus animulam innocentulam iam iam efflaturus videretur. Mœsti ergo Parentes, & omnis alterius solatij expertes, ardentibus ad DEVM precibus recurrunt, ac tandem diuinitus inspirati votum pro Filiolo Diuæ Præsidi VVeyerensi deferunt. Res mira: vix animi sensa conceptumque votum ore expresserant, & subitò adest fructus, quem voto respondere exoptabant. Eodem momento è corpusculo Infantuli vt putabatur, iam demortui subducit se lethalis ille horrido atrore suffusus pallor, roseus labiorum, & viuidus faciei color, vitalis prænuncius caloris, certatim erumpit, & puerulus ab omni deinceps morbi aggressu liber & immunis in hodiernum diem protinus reuiuiscit.

Anno 1618 .. Augusti.

Illustre sanè, siue beneficium miraculosum, siue beneficum Miraculum, & æterna memoria, commendationeque concelebrandum. Quare cum S. Bernardo Diuam nostram verbis hisce affamur: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per MARIAM: hæc, inquam, voluntas eius est, sed pro nobis: In omnibus siquidem, & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas? IESVM tibi dedit Mediatorem, quid non apud talem Patrem Filius*

Serm. de Virginis natiuitate.

Mater Mediatrix nostra apud Filium.

lius talis obtineat? exaudietur vtique pro reuerentia sua: Pater enim diligit Filiū. an verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absq; peccato, vt misericors fieret. Hunc tibi fratrem MARIA dedit. sed forsitan & in ipso Maiestatem vereare diuinā, quòd licèt factus sit homo mansit tamen DEVS. Aduocatam habere vis & ad ipsum, & ad MARIAM recurre. Pura siquidem humanitas in MARIA non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ: Nec dubius dixerim: Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potest ne filius aut repellere matrem, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri filius potest? Neutrum planè: Inuenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum feliciter semper hæc inueniet gratiam, & sola est gratia, qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam sicut Salomon, non diuitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua saluamur. Quid non alia concupiscimus fratres? quæramus gratiam. & per MARIAM quæramus: quia quod quærit inuenit, & frustrari non potest. Hucusque vir sanctus. Sed quid vobis videtur, O Polymitarij, & Plastæ conuitiorū in Diuam nostram & alios cœlites? quid laceris retibus vestris è veritatis fundo expiscamini? nil nisi confusionem & ignominiam sempiternam.

CAPVT XXIX.

ALIVD FERE SIMILE SVPERIORI DE ALIA Paruula siue in viuis seruata, siue à mortuis excitata.

QVemadmodum omnia latissimæ arboris folia vsque ad extremum eius ramusculum, qui per tot interualla separatur, ac distat à radicē, virtutem tamen & pulchritudinem, vigorem ac fœcunditatem ab ea, ramis mediatim intercurrentibus, ex ipso trunco sugunt ac mutuātur: sic etiam quæcunque siue prospera, siue aduersa hominibus eueniunt, non fortuito casu sed potiùs licèt multiplices causæ mediæ interueniant, gubernante ac dispensante diuina Numinis prouidentia, destinato consilio contingunt atque adeò nec paruulis innocentibus hæc DEI cura & prouidentia denegatur, quos absque sua culpa doloribus in hac vita tentari sinit. id enim potissimùm fit, vt inde emergat gloria diuinæ Maiestatis, vt paullò antè iam dictum.

Simile

Aduersa non accidunt hominibus fortuitò, sed disponente diuina prouidentia.

Sic Vdalrici VVeberi Cauerndorffensis prope Forchemiam filiola Margaretha mēsibus aliquot Epilepsiæ cōuulsionib. lachrymabili spectaculo emacerata, tādē supra modū atrociter inualescēte malo omninò exanimata credebatur, cū totū ei⁹ corpusculū cadaueroso pallore obductū, palpātiū manib. & rigeret, & omnis expers natiui caloris extremè frigeret.

Paruula creditur defuncta.

vicinis ergo sepulturam, & funeralē elationem suadentibus, Parētes Deū per Virginis Matris intercessionem impensiùs inuocant, ac Donum etiā profectione pia ad VVeyerensem Virginis domum instituta sese apportaturos pollicentur, dummodò Filiola incolumis, & sana illis restituatur. Non cecidere in irritum preces: nam cùm primùm ad paruulæ lectum accurrissent, & fascias, quibus iam ad sepulturam inuoluta erat, extricarēt, calentem, viuido colore spirantem, ac viuam offenderunt. Confirmauit miraculum reuocationis ad vitam emansio epilepsiæ: nam nec minimum huius morbi indicium in ea deinceps comparuit, sed firma sanitas stabilē in ipsa hodierno etiamnum die sedem fixit.

[M]iraculum [s]uscita[ti]onis par[uu]læ alio [m]iraculo [ro]boratur. [A]nno 1618. [.] August.

Paulisper itaque & huius beneficij memoriam recolentes in Aduocatę humani generis laudes cum S. Augustino excurramus, vt eius deuotione vtriusque sexus fideles inflammentur: *Facta est* M A R I A *fenestra cæli, quia per ipsam verum Deus fundit sæculis lumen. Facta est* M A R I A *scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terram, vt per ipsam queque homines ascendere mereamur ad cælum: Facta est* MARIA *restauratio fœminarum, quia per ipsam ruina primæ maledictionis probantur esse subtracta. Maledicta Eua fuerat, quam nunc credimus per* MARIAM *ad benedictionem gloriæ remeasse: Proijcite Virgines dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum* MARIA *suscepit honores, assumite. Venite Virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parientes ad parientem, venite matres ad Matrem, venite lactantes ad lactantem, venite Iuuencula ad Iuuenculam. Ideò omnes istos cursus natura Virgo* MARIA *in Domino nostro* IESV CHRISTO *suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorum nouus Adam recuperat, Dominus* IESVS CHRISTVS. Ita ad Virginis cultum hominibus persuadendum ore suo sanctissimus Pater Augustinus.

[Se]rm. 15 de [te]mpore, qui [es]t de nati[u]itate.
[M]aria fe[n]estra & [s]cala cœli.

Longè diuersa & sentiunt, & loquuntur de MARIA Domini Matre benedicta, qui Luthero-Caluiniani Euangelij tenasmo titillantur: Nam vt hæresis nunquam non supernè ad infima tendit:

Ad generum, inquam, *Cereris, nigrasque Acherontis ad vndas:*

Sic qui eius funem trahunt, ad vnum omnes quidquid de Virgine gloriosum, illustre, eximium dici potest, & iure merito debet, id sic deprimunt, sic extenuant, vt augustissimam hominum & Angelorum Reginam infra nefarias etiam fœminas collocent, vt seminis sui originem apertè prodant.

CAPVT XXX.

HERNIOSVS, CERTATIM EFFLVENTIBVS aluo visceribus, extremè de vita periclitans tandem incolumis euadit.

RES magni momenti ex fortuitis quibusdam & accidentalibus, vt Philosophis loqui mos est, occasionibus, Deo sic volente, ortum quandoque ducunt: Videre id est in honorato Ciue Bambergensi, Ioanne Körbero. Is Ramice, & diaphragmatis circa Ilia non mediocri ruptura iam pridem laborabat. Contigit porrò, vt canalem stillicidialem longitudinis plusquam viginti pedum è querno robore pro domo sua necessitas parare impelleret. Hunc iam à Fabro lignario absolutum, & interiùs pice oblitum ille vnà cum seruo vnico in humeros sublatum eò baiulauit, vbi machina tractoria, vel potiùs sucula, mediante ductario fune, ad tecti fastigium eleuandus esset. Verùm, dum sub tanto pondere, anhelitum violenter supprimendo, difficulter progreditur, sentit infernè ventris fracturam maiorem in modum dilatari, totamque viscerum congeriem, vnà cum vesica, foras protrudi. Lustrata igitur à rerum peritis immani apertura, è loculis intestina interiora omnia diffluxisse, ac prorupisse cernebantur. Adhibita mille fomenta, vnguina, ligaturæ, balnea, vt vi excussa introrsum adigerentur: sed frustra. euocatur è longinquo peritissimus istiusmodi morborum Chirurgus; adhibet ille omnia artis suæ experimenta; sed incassum. Desperauerant iam de vita hominis omnes Medici Bambergenses; desperauit & iste, aliunde haud exiguo precio conductus. Nam effusa intranea omninò indurauerant, & vredine planè irrestinguibili, nullisque pharmacis refrigeratorijs cedenti succensa exardescebant. Breui itaque ex hac vita decessurum se suspicans, disponit domui suæ, peccata confitetur, sacrum accipit viaticum, oleo infirmorum vngitur, & in horas præ foribus pulsantē expectat mortē. Inuisi eum non raro, cùm subsit animarum, cui præsum, curæ, vidi miserias, agnoui vitæ periculum. Incidit tandem mentio spectatissimorum Diuæ VVeyerensis auxiliorum, varijs hominibus, in summis etiam & ad restim, atque triarios redactis necessitatibus, collatorum. Hinc ille ardenti quadam fiducia inflammatus, Ah Domine IESV, inquit, per Benedictæ Virginis Matris tuæ preces me quoque in extrema ista calamitate mea exaudi. En voueo tibi, & Matri tuæ peregrinationem, cum donario eius honori dicando pro meis facultatibus, quàm primùm sacram

Herniæ morbus.

Humana media frustra tētata.

eius memoriam VVeyerenſem potero viſitare. Nec caruit petitio optata conceſſione, nec votum effectu ſuo defraudatum. Nam ex illa hora meliùs ſenſit; eadem nocte, cùm præcedentes omnes duxiſſet inſomnes, quietè dormiuit, & manè euigilans extruſa viſcera in ventrem rediſſe comperit. Conualuit, è lecto ſurrexit, ad Diuæ VVeyerenſis templum, vti promiſerat, perrexit, & modò, vt Dei perfecta eſſe opera vel iſthinc agnoſcas, abſque vllo rupturæ defectu ſaluus & incolumis perſeuerat, & quibuſcunque expiſcantibus tantam Virginis Patrocinio acceptam gratiam magnificè deprædicat atque commendat.

Contigit anno 1618.

Sit ergo tibi, ô virgo glorioſiſſima, ſuper afflictis, cum S. Auguſtino inſtanter ſupplicamus, & obteſtamur, *compaſſio, ſit pius affectus ſuper Cœlorum peregrinis. Et cùm lætantem te ſemper aſpicis, fletus noſtros, quæſumus, ipſa ad Deum admittas. Nos enim adhuc in terra affligimur, perſecutionem patimur, iniurijs laceſſimur, eſurimus, ſitimus, in carcere retinemur. Tu verò in cœleſtibus regnis prælata es cunctis Virginum Choris. Tu agnum, quocunque perrexerit, ſequeris. Tu in illa Beatorum feliciſſima regia primi ordinis dignitatem adepta inter Paradiſi amœna flores immarceſſibiles carpis. Te ipſe Rex Regum, vt matrem veram & decoram ſponſam, præ omnibus diligens, amoris amplexu ſibi aſſociat. Nec mirum ſi dignetur id facere* DEVS *regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum toties oſculata es in terris.* Et nos addimus: *Fac eum interuentu tuo nobis perpetuò Clementẽ, & Propitium, iam omnipotentem ac regnantem in Cœlis. Amen.*

Serm. 2. de Aſſumpt. Virginis. Aſpiratio deuota ad Virginem.

Vobiſcum hic iterum res erit, ô Popinarij Euangelici, qui vt mendacijs & lædorijs, & veterum iam pridem damnatarum hæreſum paradoxis, milleq; quiſquiliarum aſſumentis Euangelij veſtri Centonẽ in fartũ, vnà cum mendaciorum omnium, quæ in Catholicos, immò & in Diuos & cœlites, vel ab ipſo Cacodæmone vnquam excogitari potuiſſent, mille coloribus variegatim ſubducta ſœderatura politiſſimè ſanè, & ad viſendam pulchritudinem conſuiſtis; non ſecùs, ac ſi quis holoſerica, byſſinaque iam pridem in ſimeto putreſcentia reiectamenta hinc inde collecta, luto & argilla in vnum conflans, amiculum ſibi inde conficiat, quod inſuper blaſphemiarum omnium, quas in Deiparam Virginem Neſtorius, Leo Iſauricus, Conſtantinus Copronymus, ſimilesq; ſacrilegi vnquam effuderũt, veluti lacinia opere Polymitario egregiè ſimbriatum in quibuſcunque verbi veſtri declamationibus ridiculè oſtentatis, & eo velut laruati comparetis: ſic omnia Virginis noſtræ beneficia & miracula ſcommatibus, ac planè ſcurrilibus dicterijs quæ agyrtis potiùs & mimicis ludionibus, quàm verbi, vt ſalutari auetis, Concionatoribus ad perpendiculum quadrent, exploditis, ſubſannatis, exibilatis. Dicite obſecro, quid in hoc, quod expoſuimus, euidenti curationis præternaturalis ſpectaculo reperietis, vbi Leoninos, immò & Lupinos dentes vſpiam defigatis? res

Lutheri Euangeliũ ex variarum hæreſum damnatarum Paradoxis conſarcinatum. Simile.

in ſe

in se clara est: viuit qui beneficio est affectus, viuunt Domestici, Cognati, Vicini; viuunt Medici, qui vulneris aperturam, ac viscerum erupturam suismet oculis intuiti, omninò incurabilem censuerunt; superstes adhuc est Chirurgus peritissimus, è Kreusensi Marchionatus Brandenburgici superioris Oppido Bambergam euocatus, homo factionis etiam Lutheranæ, qui adhibitis quibuscumque Pharmacis omnem operam ludi videns, Hernioso nostro intra paucos dies moriendum esse, non me solùm, sed & multis alijs præsentibus, condixit: Et cùm subitam morbi in melius consecutam Catastrophen vidisset, grande præter naturam miraculum id esse palàm est professus. Cessate igitur, verè verbi Lithotomi, cessate Locutolei Zoili morsicationibus edentulis diuina isthæc signa & prodigia summo vestro cum dedecore posthac infestare.

CAPVT XXXI.

MIRACVLVM INSIGNE SVSCITATIONIS PVERI, apertè iam ante horas aliquot defuncti.

CLAVSVRVS miraculorum Virginalium syluã, omitto alia quamplurima, quæ ex Actuarijs VVeyerensis Ecclesiæ iam denarratis affinia huc quoque transferri potuissent, ni breuitatis potiùs, quàm prolixitatis amor, & tuum, ô bone lector, tædium vetaret. Vnum tamen, præ multis alijs, augustius & luculentius, non verbis equidem meis, sed è publicis tabulis à Notario confectis, verbo ad verbum latinè reddito vberioris fidei caussa huc transcribere non grauabor. Id autem sic habet:

Hodie, qui erat decimusquintus Octobris, Anno millesimo sexcentesimo decimo octauo, Steinaci in domo Quæstorali Ill.mi & Reu.mi Principis ac Domini, Domini Ioannis Godefridi, Episcopi Bambergensis, & Herbipolensis, Franciæ Orientalis Ducis, &c. in hypocausto anteriori, fontem publicum, & oppidi portam spectante coram Reuerendis & Eruditis Dominis Vdalrico Faulmullero, Parocho ibidem, & Andrea Episcopio, Parocho VVeyerensi, necnon etiam coram Ornatissimis viris Ioanne Franckenbergero, Quæstore Steinacensi & Sebastiano Langio Leogastensi, Friderico Schrammio Steinacensi, Præfectis & Iudicibus, in mea Notarij infrà subsignati præsentia comparuit Matthæus Ecklius, publicus Scriba, & Organista oppidi Kupfferbergensis, cum Barbara coniuge sua, & Filiolo Friderico, iam decimum quintum annum agente. Hunc nobis omnibus præsentarunt, & simul

etiam clarè, ac sine ambagibus proposuerunt: Quemadmodum die quodam Veneris, Mensis Iunij, præterlapsi millesimi sexcentesimi decimitertij anni, prædictus eorum Filius Fridericus manè paullo diutiùs in lecto hæsisset, vnde ipsi per Sororem eius Euam, Filiam itidem suam eundem excitari, atque vt ad scholas sese expediret, admoneri curauerint: qui cùm surgere se velle ostenderet, ad sororem dixit hæc verba: Eya Eya soror, vexillum è turri decidit, (vertumnum indicans) & domum nostram prosternit. Quibus verbis prolatis, Puer conticuit. Exigua interiecta mora, redijt Soror, & denuò, vt surgat, parentum iussu paulò acriùs obiurgat; at ille rursum in hæc verba prorumpit: vexillum de turri cecidit, & totam domum nostram prostrauit, iterumque consiluit, nec vllum ampliùs verbum prolocutus est, nec manum aut pedem mouens, sensus, loquelæ, & auditus omnis expers, ita vt nec halitus vitalis in eo sentiretur, corde solummodo breuiusculo tempore aliquantulum palpitante; sed id paulò pòst cum pulsu etiam omninò conquieuit. Atque ita sex integris horis iacuit indubitatè mortuus. Ea de caussa horis illis iam propè exactis, Parentes Pueri tum temporis loci Parochum, Magistrum Ioannem Fischerum, & Laurentium Pantzerum, Ciuem ac Sartorem Kupfferbergensem ad se vocarunt, & vtrique subitaneum Filij sui ex hac vita decessum non sine affluentissimo lacrymarum profluuio significarunt. Credebat vterque Apoplexia tactum è viuis esse desijsse, nec à scopo aberrabant.

Puer Apoplexia è medio tollitur.

Accurrens nihilominus Pantzerus, quem diximus, ad lectulum, in quo exanimis iacebat puer, existimans, animi forsitan spasmo, aut mentis deliquio eum teneri, ideoque in faciem eius aquam & acetum, vinum itidem aliaq; fomenta, quæ sors & occasio temporis suppeditabat, inspergit; sed quicquid sparg eret, ageret, quateret, vellicaret, fomentaret, nullum planè, vel exiguum vitæ indicium, aut signum apparebat. Quin potius totum pueri corpusculum instar ligni obriguerat. Desperato igitur omni humano auxilio, cadauer, vt erat rigidum, & immobile, instar trunci, brachijs excepit, atq; in hypocaustum, præsente Parocho, deportatum, recenter loto indusio, vestibusque induit, & more Patrio ad sepulturam composuit, ac præparauit. Interea Parochus iam tum instante meridiano tempore ad Ecclesiam properat, diuinum celebraturus Missæ sacrificium, quod alioqui, ni casus interuenisset, pro infirmo Puero decreuerat offerre. Insequitur eum mœstus Pueri parens, & sub Diuino officio, dum CHRISTVM Dominum in sacræ hostiæ eleuatione adoraret, sicut & afflicta mater, quæ domi apud nati exuuias remanserat, sacrosanctam Præsidē VVeyerensis Basilicæ intimo cordis affectu & flebili prece instanter inuocant, & suppliciter obtestantur, cùm eius Filio

Nullum in eo vitæ signum apparet.

omnia

omnia ſint factu poſſibilia, & nihil ſit, quod ipſa interceſſione ſua apud eum efficere, & impetrare non poſſit, vt ſuum ſibi reſtituat Filiolum rediuiuũ,& ſanum: quod ſi beneficium impetraſſent, vouebant, ſe cũ honorario ſacro,&precibus deuotiſſimis puerũ illico ad arã eius pręſentaturos.

Fit votum pro eo à Parentibus.

Cùm verò, finito officio, parens domum reuertiſſet,& vnà cum vxore calentes vterque ſine ceſſatione fundentes lachrymas, & vota ad Diuam humani generis communem opitulatricem iterantes vſque ad medium duodecimæ tempore meridiano perſeueraſſent, venit Georgius Tulpius Senator Ciuicus ſolatij cauſſa eos inuiſens, & ad Pueri Cadauer accedens, formalia hæc potulit verba: Eia chariſſime Fridericule, ſi iam rediuiuus ſurgeres, quanto gaudio afflictiſſimos Parentes tuos recreaturus eſſes? vix quarta pars horæ deinceps elapſa erat, cùm præfatus Tulpius iam abierat, puer in lecto Hypocauſti iacens ſeſe erigit, attonitisque Parentibus, & vix præ gaudio ſe ipſos capientibus, in hæc primùm linguam reſoluit verba: ô chariſſima Mater quàm eſurio: ac ſtatim ſubiunxit: adibo ſcholas, quota iam eſt hora? ſubticentibus adhuc Parentibus, & ſe mutuò intuentibus, tertiò addidit: Agedum Pater, eundum eſt nobis ad Dominam noſtram in VVeyer. Subiunxit Mater: Ah chariſſime Filiole, nimis adhuc debilis es, poſt duos treſuè dies adducemus te in VVeyer ad Dominam noſtram, cui te voto peregrinationis obſtrinxi; quòd ſi ambulare nequiueris, meis te humeris baiulabo. Poſt hæc verba puer vltrò ſurrexit, veſtes ſuas compoſuit, menſæ accubuit, & prandium more ſolito cum Parentibus & tota Familia ſumpſit, interea ſanus & incolumis, in qua optimè conſtituta valetudine hodiernum adhuc in diem eum perfrui aſſerebant, & qui præſentes erant, coràm ſpectabant, immortales Deo & Matri eius benedictæ gratias agentes.

Puer ad vitam redit.

Cùm autem tanti miraculi relationem non ſolùm ſæpedicti pueri Parentes, ſed & vnà cum illis Laurentius Pantzer & Martinus Gottinger, opificio ſutor, ciues Cuprimontani, qui audito rumore de Puero exanimi in lecto reperto, aquam roſaceam, & alia ſecum afferens fomenta, cum refocillare conabatur, ſed nullum in eo vitæ indicium reperiebat, quem tamen poſt multas horas reuixiſſe viderat, corporali præſtito Iureiurando vno omnes ore vnanimiter in circumſtantijs omnibus conſentientes aſſeuerarint; & inſuper tum temporis Parochus M. Ioannes Fiſcherus, Chirographo & ſigillo ſuo 13. Octobris anni currentis dato, tanquam oculatus, & omni exceptione maior teſtis, omnia ſuperiùs enumerata etiam roborarit, & veriſſima eſſe conteſtatus ſit; Ego quoque infraſcriptus Notarius ad hoc à principio nominatis Dominis officij ratione requiſitus, annotaui, & in formam publici inſtrumenti redegi, atque in euidens rei teſtimoniũ manu mea & nomine ſub-

scripsi. Actum die, mense & anno, quibus suprà.

Ioannes Pangratius Fischer, vtriusq; Authoritatis Notarius Publicus, necnon Poligraphus Statt-steinacensis, hac annotaui, & in fidem vberiorem subscripsi.

Testimonium M. Ioannis Fischeri, Parochi, de Puero defuncto, & reuiuiscẽte.

Parochi verò sæpè memorati testimonium sic habet, redditum quoque de verbo ad verbum:

Cùm honestus & spectatus vir, compater meus, Mattheus Ecklius Scriba Senatus atque Organista Oppidi Kupfferbergensis die Veneris 12. Octobris, anni præsentis 16 8 ad me venisset, & me rei ante quinquennium gestæ cum Filio suo Friderico, qui subitaneo morbo huic vitæ subductus fuerat, commonefecisset; Quia ego omnia adhuc ita recenti memoria seruo, ac si heri primùm contigissent, hoc manu mea scriptum, & sigillo roboratum testimonium volui dare, veraciter atque constanter affirmans prædictum Puerum die quodam manè, cùm Pueri scholas frequentare cõsueuerunt, subitò obmutuisse, & penitus expirasse, atq; exanimem iacuisse. quo viso territi parentes, & Soror, ad me tunc Parochum miserunt, mihiq; luctuosissimum & funestissimum casum lachrymabundis oculis recensuerunt. Accessi & ego Puerum; sed nec vox, nec motus, nec calor, aut vllum vitæ signum in eo comparuit. Deo itaque rem commendandam suasi, & sacrum etiam pro Puero me oblaturum promisi; sub quo parentes votum fecerunt ad Dominam nostram in VVeyer, post quod circa meridiem DEVS auxilium suum euidenter ostendit, & Puer saluus & sanus surrexit, ac nobiscum toto illo vesperi mensæ accubuit, comedit & bibit, ac si solùm è profundo somno euigilasset. Quod ipsum ad stuporem vsque omnes admirabundi suspeximus, Deo ac benedictæ Virgini Matri æternas grates persoluentes. Datum Northalbi, 13. Octobris, Anno 1618.

M. Ioannes Fischer Parochus ibidem.

Hæc omnia ad sensum pariter & verba ex Autographis vernacula lingua nostra conscriptis magna sunt, & in se obstupescenda, nec vlla indigent aliorum verborum exaggeratione.

Serm. 1. in Antiph. Salue Regina. Virgo diligit se diligentes.

Laudes itaq; Dei Matris Virginis, quàm possumus ardentissimo zelo cum S. Bernardo deprædicantes fatemur: *Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & propè est in veritate inuocantibus se, præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate, & totã spem suã (post filiũ suum) in ea posuerint,*

& toto corde quæsierint; data est ei potestas in cœlo & in terra, & in manibus eius vita & spiritus nostri, & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam gratiæ, qua plena est, in tempore opportuno. Origo fontium & fluminum, Mare virtutum sanctarum. Auctrix MARIA. *Ad eam non incongruè dicitur: Quàm bona Domina Israhel his qui recto sunt corde? Salue Regina misericordiæ; iustè Regina mundi, & Regina cœli dicitur, per quam vtriusque Creator, & Rector generatur. Regina gloriæ, nomen est honoris, magnificentiæ, & decoris, dulcedinis ac Pietatis, amoris & honorificentiæ, sublimitatis & Potentiæ, gubernationis & Iustitiæ, defensionis & gratiæ. Possumus etiam sic intelligere, quòd Regina misericordiæ dicitur, vt soli tribuamus Diuinæ misericordiæ. & non meritis: quòd super omnem creaturam ipsa sanctitate ac dignitate præcellens, Regina vocabulo & honore sublimatur. Amplius etiam in hoc conuenienter vocatur Regina Misericordiæ quæ diuinæ Pietatis abyssum, cui vult & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum Patrocinij sui suffragia præstat.*

Dispensatrix gratiæ.

MARIA Regina.

Regina & Mater misericordiæ.

Pergit vlteriùs vir sanctus: Vita, dulcedo, spes nostra salue: *Ordo pulcherrimus; dulcedinem vitæ præcedit. spes sequitur, non enim sapis, nisi viuas; nec sperabis, nisi viuas, & sapias. Ipsam Reginam Misericordiæ, vitam ac dulcedinem nostram dicimus, quia per ipsam speramus, nos posse consequi, quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri. Primò ponit vitam, quæ est in integritate virtutum; secundò dulcedinem spiritualium gaudiorum; deinde spem infert æternorum. Omnia hæc Regina misericordiæ contulit mundo.*

Vita, dulcedo & spes nostra.

Et infrà: *Si linguæ centum resonarent, oraque centum, ferrea vox mihi,* MARIA, *nihil dignum tibi dicere possem, stella Maris. Eleuata est magnificentia tua super cœlos, & super omnem terram gloria tua, ita vt nec in cœlo inueniatur creatura pura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim, nec in cœlo, nec in terra inuentus est dignus aperire librum prærogatiuarum tuarum, & dignè soluere septem signacula eius, plenitudinem gratiæ, aduentum Spiritus Sancti in te, virtutis altissimi obumbrationem, verbi conceptionem, quòd sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? viri diuitiarum multi de ciuitate Domini virtutum miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinē diuitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia inuestigabiles viæ istæ. Conati sunt, & non datum est vltrà, dum adhuc ordirentur, succisi sunt; licèt currerent omnes in odorem vnguentorum tuorum, curremus & nos in odore isto. trahe nos post te, sub vmbra alarum tuarum nos protege, ad te enim clamamus exules Filij Euæ.*

Eodem sermone. Stella Maris *Apoc. 5.*

Ibidem eodem sermone. Ad te clamamus exules Filij Euæ.

Et infrà: *De hoc exilio, ô Sācta sanctorū, ad te clamamus exules, vt interuētu tuo. ducatu tuo, adiutorio tuo possimus ad cubiculū veritatis repatriare; scimus procul*

scripsi. Actum die, mense & anno, quibus suprà.

Ioannes Pangratius Fischer, vtriusq; Authoritatis Notarius Publicus, necnon Poligraphus Stattsteinacensis, hæc annotaui, & in fidem vberiorem subscripsi.

Testimonium M. Ioannis Fischeri, Parochi, de Puero defuncto, & reuiuiscẽte.

Parochi verò sæpè memorati testimonium sic habet, redditum quoque de verbo ad verbum:

Cùm honestus & spectatus vir, compater meus, Matthæus Ecklius Scriba Senatus atque Organista Oppidi Kupfferbergensis die Veneris 12. Octobris, anni præsentis 16 8 ad me venisset, & me rei ante quinquennium gestæ cum Filio suo Friderico, qui subitaneo morbo huic vitæ subductus fuerat, commonefecisset; Quia ego omnia adhuc ita recenti memoria seruo, ac si heri primùm contigissent, hoc manu mea scriptum, & sigillo roboratum testimonium volui dare, veraciter atque constanter affirmans prædictum Puerum die quodam manè, cùm Pueri scholas frequentare cõsueuerunt, subitò obmutuisse, & penitus expirasse, atq; exanimem iacuisse. quo viso territi parentes, & Soror, ad me tunc Parochum miserunt, mihiq; luctuosissimum & funestissimum casum lachrymabundis oculis recensuerunt. Accessi & ego Puerum; sed nec vox, nec motus, nec calor, aut vllum vitæ signum in eo comparuit. Deo itaque rem commendandam suasi, & sacrum etiam pro Puero me oblaturum promisi; sub quo parentes votum fecerunt ad Dominam nostram in VVeyer, post quod circa meridiem DEVS auxilium suum euidenter ostendit, & Puer saluus & sanus surrexit, ac nobiscum toto illo vesperi mensæ accubuit, comedit & bibit, ac si solùm è profundo somno euigilasset. Quod ipsum ad stuporem vsque omnes admirabundi suspeximus, Deo ac benedictæ Virgini Matri æternas grates persoluentes. Datum Northalbi, 13. Octobris, Anno 1618.

M. Ioannes Fischer Parochus ibidem.

Hæc omnia ad sensum pariter & verba ex Autographis vernacula lingua nostra conscriptis magna sunt, & in se obstupescenda, nec vlla indigent aliorum verborum exaggeratione.

Serm. 1. in Antiph. Salue Regina. Virgo diligit se diligentes.

Laudes itaq; Dei Matris Virginis, quàm possumus ardentissimo zelo cum S. Bernardo deprædicantes fatemur: *Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & prope est in veritate inuocantibus se, præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate, & totã spem suã (post filiũ suum) in ea posuerint,*

& toto

& toto corde quæsierint; data est ei potestas in cœlo & in terra, & in manibus eius vita & spiritus nostri, & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam gratiæ, qua plena est, in tempore opportuno. Origo fontium & fluminum, Mare virtutum sanctarum. Auctrix MARIA. *Ad eam non incongruè dicitur: Quàm bona Domina Israhel his qui recto sunt corde? Salue Regina misericordiæ; iustè Regina mundi, & Regina cæli dicitur, per quam vtriusque Creator, & Rector generatur. Regina gloriæ, nomen est honoris, magnificentiæ, & decoris, dulcedinis ac Pietatis, amoris & honorificentiæ, sublimitatis & Potentiæ, gubernationis & Iustitiæ, defensionis & gratiæ. Possumus etiam simi[...]lligere, quòd Regina misericordiæ dicitur, vt soli tribuamus Diuinæ misericordiæ. & non meritis, quòd super omnem creaturam ipsa sanctitate ac dignitate præcellens, Regina vocabulo & honore sublimatur. Amplius etiam in hac conuenienter vocatur Regina Misericordiæ quæ diuinæ Pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum Patrocinij sui suffragia præstat.*

Dispensatrix gratiæ.

MARIA Regina.

Regina & Mater misericordiæ.

Pergit vlteriùs vir sanctus: Vita, dulcedo, spes nostra salue: *Ordo pulcherrimus; dulcedinem vita præcedit. spes sequitur, non enim sapis, nisi viuas; nec sperabis, nisi viuas, & sapias. Ipsam Reginam Misericordiæ, vitam ac dulcedinem nostram dicimus, quia per ipsam speramus, nos posse consequi, quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratia nobis impertiri. Primò ponit vitam, quæ est in integritate virtutum; secundò dulcedinem spiritualium gaudiorum; deinde spem infert æternorum. Omnia hæc Regina misericordiæ contulit mundo.*

Vita, dulcedo & spes nostra.

Et infrà: *Si lingua centum resonarent, oraque centum, ferrea vox mihi,* MARIA, *nihil dignum tibi dicere possem, stella Maris. Eleuata est magnificentia tua super cœlos, & super omnem terram gloria tua, ita vt nec in cœlo inueniatur creatura pura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim, nec in cœlo, nec in terra inuentus est dignus aperire librum prærogatiuarum tuarum, & dignè soluere septem signacula eius, plenitudinem gratiæ, aduentum Spiritus Sancti in te, virtutis altissimi obumbrationem, verbi conceptionem, quòd sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? viri diuitiarum multi de ciuitate Domini virtutum miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinē diuitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia inuestigabiles viæ istæ. Conati sunt, & non datum est vltrà, dum adhuc ordirentur, succisi sunt; licèt currerent omnes in odorem vnguentorum tuorum, curremus & nos in odore isto. trahe nos post te, sub vmbra alarum tuarum nos protege, ad te enim clamamus exules Filij Euæ.*

Eodem sermone.
Stella Maris
Apoc. 5.

Et infrà: *De hoc exilio, ô Sācta sanctorū, ad te clamamus exules, vt interuētu tuo. ducatu tuo, adiutorio tuo possimus ad cubiculū veritatis repatriare; scimus procul dubio,*

Ibidem eodem sermone.
Ad te clamamus exules Filij Euæ.

Antè pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm tuus è nostro labatur pectore vultus.

Virgo Dei Genitrix, tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum; vultum tuum Domina requiram.

Psal. 26.

Et paulò pòst: *Spiritus sanctus facere in te sua opera magnificauit. vnum erat, dum dignam te fecit, quæ DEI Filium concipere posses, & parere. Alterum, quando ex tua carne sancta carnem Filij Dei formauit. Nam de te dictum est: Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. nasus duo habet foramina, per quæ spiritum à capite emittit. Ita tu Domina virginitate & humilitate tua de cœlo eduxisti filium DEI, spiritus oris nostri, dicente Propheta, Christus Dominus; Tu similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma grauitate, turris es Libani; Libanus mons, qui dicitur dealbatus, altā præ omnib. signat innocentiā tuam, tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum, te benedixit Dominus, vt per te vita benedicta veniret, sicut mors per Euam processerat maledicta. Turris es ædificata cū propugnaculis: ab ineunte enim ætate dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatem; quare delectatio Iustitiæ odiumque iniquitatis, cum quibus creuisti, tua fuêre propugnacula. His visis hostibus certè suspecta fuisti. Non enim parùm formidabant, ne fortè tu esses, quæ & eras, per quam expugnandi erant, & damnandi. propter quod & terribilis fuisti eis, vt castrorum acies ordinata. Nihil verò omninò profecit inimicus in te eò, quòd mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium: nihil est enim virtutis, quod ex te non resplendeat, & quicquid singuli habuêre sancti, tu sola possedisti. Lectulus es Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israhel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, protegentes omnes, qui in memoria tua iugiter requiescunt.* Hæc hactenus ex ore & calamo S. Bernardi, quibuscū miraculosorum Deiparæ beneficiorum enarrationem hac vice claudemus, donec plura, & fortè his non inferiora, quæ hinc inde apud vicinos Lutheranos, ijs quoque, qui à recta fide nostra cœlo soloque, ignoranter tamen, & ab erraticis concionatoribus persuasi, impudenter aberrantes, at nihilominus MARIAE Patrocinia summo in gradu reponunt, iam quidem salutifero complurium bono obtigerunt, verùm à Nugiuendulis quinti Euangelij Ministris ex inuidia Diabolica malitiosè supprimuntur, donec ita disponente Deo in apertam lucem producantur; vt enim iam millenies millies probata liquet experientia, non diu fucata persistunt, sed facilè patescunt: & ingenti studio compta cæsaries exiguo ventorum flatu haud rarò turbatur, fœdissimeque dissipatur. nostri æui hæreses omnes luculentissimum de se præbent exemplum. Euanescunt illæ, Virginis cultus & honor toto terrarum orbe quotidianis propemodum signis & prodigijs

Eod. serm.

Maria nasus & turris Libani.

Cantic. 7.
Cantic. 4.
Thren. 4.
Gen. 27.

Maria terribilis castrorum acies ordinata.

Simile.

inclareſcendo emergit. Lutheri Euangelium exanime iacet in Sandapila; Pollinctores ac Veſpillones, atque Libitinarios agentibus ipſiſmet Battologis Euangelicis: Parthenia Veneratio atque deuotio ramos virentes in omnem gentem & linguam extendunt, vt nulla generatio inueniatur, quæ Mariam non prædicet beatam, præter vomicas Lutheranas, & carcinomata Caluiniana extuberantia in Aquilone, à quo panditur omne malum.

Luc. 2.

CAPVT XXXII.

CORONIDIS ALIQVID PRO CALVMNIATORIBUS virginalium beneficiorum.

AD vos nunc ſermo meus, ô Coclites, ô Strabones Euangelici Cornicatores, O Sanniones noſtratium, ſiue miraculorum beneficorum, ſiue miraculoſorum beneficiorum, ſic enim appellare, vel vobis ad extremum Hæreticæ choleræ limitem ſuccenſentibus, deliberato, atque ad prudentiæ Solem maturrimè percocto conſilio iampridem collubebat; Coclites, inquam, & Strabones, qui ſiue luſcis, ſiue limis, ſiue toruis, ſiue nequam oculis contuemini flores amœniſſimos, vernantiſſimas roſas, & lilia ſuaueolentiſſima, quæ paſſim germinat fertiliſſimus ager ſanctæ Romanæ, Catholicæque & Orthodoxæ Eccleſiæ, & ex ijs coronas plectit Regio Diademati Auguſtiſſimæ hominum & Angelorum Reginæ eximiè, ſplendidiſſimeque condecorando. Hi ſenſus noſtros diuina quadam ſuauitate afflant animos admiratione perfundunt, oculos fulgore præſtringunt, affectus in Deum erigunt, ad pietatem inducunt; quid plura? mellea ſuauitate ad ſummũ implẽt. O Portẽtũ! ô prodigiũ humani ſenſus & rationis! hæc vobis non redolere, nõ arridere, non placere. O corruptum, & planè excerebratum, & millies poto vix curandũ Helleboro, cerebrum Sabæis odoribus non penetrabile non peruium, ſed occluſum! O ſordentem palatum Nectari & Ambroſiæ non amicabilem, ſed inimicum, odioque Vatiniano infenſum!

Hereticorũ malignitas in calumniandis Virginis glorioſæ miraculoſis beneficijs.

Amabo vos, quid hæc & ſimilia, ô non odorato ſapone, ſed fullonio ablui digna lixiuio capita; quid inquam talia legentes cogitatis? Vetuſtiora eleuatis, atque vt à ſuperſtitioſo maiorum æuo excogitata illuditis? exploditis? exibilatis? Ecce noua nouitia: Ecce concurſu, plauſu, fructu Ciuitatum, Oppidorum, Municipiorum, Pagorum, Vicorum, Populorum, Nobilium, Ignobilium, Ciuium & Paganorum, omnis ſexus & ætatis, omnis ſtatus & dignitatis hominum celebrata.

Hereticorũ modus miracula virginalia deprimẽdi.

Quæ fides, O ſumma Dei atque hominum fides, quæ inquam fides po-

Fides Miraculorum Virginis.

test esse in rebus humanis, si hæc non est? An non noua hæc, & nouitia vetustioribus illis fidem vel ab exemplo struunt? Si enim nunc fiunt, & oculis hisce videmus, cur nuper & olim facta fuisse non credamus? Idem ille Deus est, qui patrat: eadem illa Mater Virgo, per quam patrat, & quã honore hoc honestat, ornat & extollit. Nescius & expers, ne dicam Religionis, sed Numinis est, qui abijcit diffidentia, aut negat perfidia. Omni æuo viguere, plerisque omnibus locis floruêre, & repullulascent in omne æuum; etsi parciùs ac rariùs, densiùs ac sæpiùs, vt diuinæ prouidentiæ visum. Nebulosis oculis tantum fulgorem aspicere, & subsannare, nõ tamen vnquam valebitis obnubilare.

Quis nisi mentis inops sua semina mandet arenæ?

Vester hic labor est, quàm diu illustria hæc, & omnium oculis ac sensibus exposita veræ Christi in terris Ecclesiæ argumenta tot miraculorũ euentibus, velut auriphrygiato stamine intertexta beneficia impugnatis, & Solem lumine suo, immò mulierem Sole amictam splendore suo, quẽ DEVS ei fauet, spoliare tentatis: sed quid frustra tentatis? sorex priùs, aut aliud id genus infami ortu, animalculum saxeas moles, & adamantina fundamenta subruet, quàm vos admorsiunculis vestris Miracula nostra euertatis. Cauete obsecro, cauete; in altum vi magna ingens torquetis saxum; id certò cum æternæ salutis vestræ dispendio in propria capita recipietis.

Frustrane⁹ hæreticorũ labor in opprimendis & extenuandis virginalib⁹ beneficijs. *Apoc. 12.*

Sinamus age vos turpes araneos ex Hyblæis hisce germinibus vitioso & Lutherici pseudo-euangelij cicuta toxicato stomacho venena sugere: nos argumentosæ Regis Christi apes saniori conscientia saluberrima & aromatica bono nostro mella Diuinæ dulcedinis extrahemus.

Valete, ô Deiparæ Virginis Antagonistæ, ad cor redite, & nobiscum honori Dei Matris, potẽtissimæ Reginæ nostræ fauete, applaudite, & Patrocinij tutelæq; partẽ, ô quanto salutis vestræ cõpendio! capessite, Amẽ.

CAPVT XXXIII.

DONARIA VOTIVA DEIPARAE VVEYERENSI à paucissimis annis oblata.

EXtrema pauperie Apostatæ Sacerdotes, qui in Hæreticos Prædicantes vt plurimùm degenerarant, iam pridem mulctauerant Deiparã VVeyerensem, quàm diu sacrum eius domiciliũ insederunt. Verùm ab eo tẽpore, quo tot miraculis & prodigijs inclarescere cœpit, egregiè sanè

ab

ab illa inopia respirauit, non solùm in ære numerato, verùm etiam in sacra supellectili, alijsque vtensilibus cultui diuino destinatis. Non est consilij nostri omnia & singula enumerare, aut enumerata describere; Quis enim finis foret? quodnam volumen caperet? paucula tantùm è Rationario Ecclesiæ descripta obiter hic attingemus.

Calix & alia sacri Altaris vtensilia.

Primarium meritissimo iure, temporis etiam intuitu, locum tribuimus Admodum Reuerendo, Prænobili atque Amplissimo Domino, D. Hectori à Kotzavv, Cathedralium Ecclesiarum Bambergensis Decano, VVirceburgensis Canonico, Collegiatarum Bambergę ad S. Gangolphū, & S. Iacobum Præposito, &c. piæ memoriæ, qui non solùm omnium primus sacram Virginis AEdem, vt suprà quoque paucis memoratum, inuisere, & eius sacram supellectilem calice argenteo deaurato, forma pariter & precio insigni, Missalibus libris, alijsque sacri Altaris Paramentis exornare voluit, sed & Bambergensium post se, veluti coloniam trahens, exemplo illis præluxit, vt quà visitando, quà virginale domicilium donarijs excolendo vestigijs eius insisterent.

Nec sibi defuit in ditanda VVeyerensis Deiparæ Ecclesia Nobilis & Magnificus Dominus Godtfridus Hertel, à Leitersdorff, quondā Diuo Rudolpho II. Imperatori à Consilijs Imperij Aulicis, &c. Hic enim duplici, vt superiùs tactum, beneficio cumulatus, præclarum sui in Virginē affectus donarium eò destinauit. Est id effigies Christi è cruce pendentis cum Virginis & Ioannis adstantium imaginibus è puro puto argento altitudine sesquipalmaribus. Tam crucis stipes, quàm basis ipsa ex Ebano striatis & fimbriatis extremitatibus argenteis, Emblematibus, & internodijs artificiosissimè distincta, è substrato nigricanti colore, metalli cādorem miro splendore collucentem à longè etiam aspectantibus repræsentat, & oculos penitiùs intuentium delectat. Laminæ porrò fundo suppedaneæ basis insertæ hæc verba votiuum donum indicantia sunt insculpta:

Argentea crucifixi Saluatoris effigies cū Iconibus MARIAE & Ioannis.

VIRGINI DEIPARAE,
Quæ in hac sacra AEde VVeyerana colitur, has Crucifixi Saluatoris nostri, eiusdem Beatissimæ Matris, cum Ioannis Euangelistæ ex Argento puro statuas,

GODEFRID. HERTEL A LEITERSDORFF, quondam D. Rudolpho II. *Imperatori à Consilijs Imperij Aulicis, & Maria Magdalena de Pisnitz, coniuges,*

EX VOTO OBTVLERVNT.

Hos, tu Patrona, tuos Clientes foue, protege, & vbique adiuua.
Anno CIↃ. IↃC. XIV. *Idibus Decemb.*

GEnerosi Domini Ioannis Henrici à Pisnitz de Hertenberg & Schonbach, &c. Illustris in Bohemiæ Regno Satrapę, Domina Coniux, Anno Domini M. DC. XVI. 22. Aprilis, Infantuli recés nati, ac fascijs inuoluti è puro puto Argento statuam semicubitalē ferè, & pōdere, & artificio visendā, per internūcios voti soluendi caussa transmisit. Sed quonam à Virgine beneficio fuerit affecta, necdum innotuit; vulgò affirmant, honoratum virum, aulæ Pisnicianæ Præfectum, qui votiuum donum oblationis ergò Aræ Virginali imposuit, retulisse paruulum Illustris illius Herois Filiolū in desperatissimo vitæ periculo, voto Deiparæ VVeyerensi dicato, seruatum. Succenseo illorū negligētiæ, qui rem penitus non explorarūt: Ad nos quod attinet, incerta pro certis affirmare non audemus, quod verisimile est, cuiuscunque libero assensui dimittentes.

Infantulus ex puro puto argento.

Insecutus est Admodum Reuerendus & Prænobilis Dominus Ferdinādus à Freyberg, Cathedralium Ecclesiarum Bambergensis, & Augustanæ Canonicus, qui ex puro puto argento opere eximio elaboratum, auroq; obductum Calicē Sacro Virginis Domicilio dicauit. Accessit non ità multò pòst Nobilis & Strenuus Dominus Ioānes Onophrius à Pellheim, Marscallus, & Consiliarius Bambergensis, &c. Præfectus in Gich & Eckoltzheim, &c. qui Vrceos duos, cum Mallubro, è solido argento precij non contemnendi ad Virginis aram offerri curauit.

Calices argentei deaurati à varijs.

Calices itē argēteos,& Casulas,quibus ad sacras aras vsus est,donarūt, Dominus Ioannes Starnerus, Secretarius Ill.mi nostri Principis Bambergensis,Dominus Michael Speth,Quæstor Prouincialis,Ioannes Philippus Gebsattelius,in Alten-VVeyer, aliiq; cōplures,præcedentium exemplo diligentes decorem Domus Dei,& locum habitationis dignissimæ Matris eius. Quòd si sacras vestes omnes,sacrificij Corporis & Sanguinis Domini Vtensilia,& Paramēta ab annis iam aliquot Sacræ Domui ab innumeris, partim nominatis,ac notis,partim innominatis,& ignotis votiuè cōsecrata,& oblata,enumerare velim,prolixum volumen conficiendum veniret. Nos ergo ne actum agere videamur,curiosum spectatorem siue ad VVeyerensis Domicilij Rationarios Codices,siue ad Repositoria, in quibus asseruantur, remittimus,& ablegamus, Virginem Deiparam orantes, vt liberalitate,qua pollet, singulis votiua donaria sua, tam istius vitæ temporararia,quàm alterius perenni remuneratione vnà cum Filio reponat & compenset.

Psalm.25.

CAPVT XXXIV.

EPILOGVS OPERIS AD VIRGINEM Dei Matrem.

Opusculi nūcupatio.

NVnc ergo ex ore ac manu mea,Serenissima hominum & Angelorū Regina,carpe & cape Flosculos hosce Miraculosorum Beneficiorū tuorum quibus nō solùm, quos breui elencho dinumerauimus; sed innumeros alios,quos tacuimus,benignitate ineffabili,ceu bene olentibus rosis, cælitus coronasti.Nam id ad Filij tui,tuamque gloriam longè lateque illustrandam propagandamque vel maximè pertinebat.

Misericordia & liberalitas Virginis.

Quemadmodum enim prudentis Medici peritia ibi luculenter inclarescit,vbi pestiferis,& lethalibus morbis homines atrociùs infestantur: sic hūmanarum miseriarum superefflucns multitudo misericordiam,beneficentiamque tuam ipso sole meridiano efficit splēdidiorem,vt ex malis nostris,quibus promptissimè,lubentissimeque mederi soles, liberalitas & bonitas tua mirificè commendetur.

Conrad. Spirens. in eius Vita.

Sanctissima illa deuotissimaque Cliens,& Famula tua Elisabetha, Pannoniæ Regis Filia, Hassiæ Principis Coniux,marito in sacra expeditione defuncto,Marburgi Xenodochium instituit, in quo saniosis ac purulentis Vlceribus affectis ipsa manu sua sordes exprimebat,abstergebat, eluebat, Vulnera & Carcinomata suppurata purgabat,fouebat, vngebat, cataplasmatibus impositis obligata curabat,aliaque medicamenta sine omni horrore admouebat, quæ miserorum,& abominandis quandoq; impeti-

gimbus pessimè affectorū cura insignem Fœminæ illius Pietatē declarauit: Ita totus hic mundus ærumnis atque cladibus plenus, velut amplum quoddam ægrorum peccatorū Nosocomium est, in quo dū per Intercessionem tuam opem à Deo flagitantibus ita beneuolè, ita maternè, ita facilè, ac promptè subuenis, Pietatem Clementiamque tuam vniuerso humano generi clementissimè manifestas, vt cùm Misericordia Domini ac Dei nostri plena sit omnis terra; ita Patrocinio tuo copiosissimo cum fœnore abundet omnis Congregatio Ecclesiæ, in hac adhuc miseriarum valle peregrinantis ac militantis, donec transferatur in Triumphantem, quæ gloriosè regnat in Cœlis.

Clementia & promptitudo, Virginis.

Psalm. 32.

Dignare ergo me semper in omni vita mea verbis non tantùm, sed & opere perpetuo te laudare, O Domina, Regina & Mater; Da mihi virtutem contra hostes tuos, hæreticos inquam, omne antiqui serpentis semen, à quo honoris & cultus tui, quem tibi Filius tuus in Ecclesia sua iugiter deferri voluit, calcaneo iam inde ab initio hostiles insidiæ struuntur, & capitales inimicitiæ atrociter inseruntur. Adde robur ad dimicandum viriliter contra Principes & Potestates tenebrarum, quos per Filium tuū debellasti, & superasti, de quibus victoriosè triumphasti. Et verò inprimis in vltima illa agonali lucta sta mecum ne succumbam, vt è tentationum procellis, quas maligni illi antagonistæ ob peccata mea immittent, ex illorum crudelissima potestate valeam eluctari, & per te libertati Filiorum Dei assertus, mitem, ac benignum Iudicem Vnigenitum tuum experiri. Sine, ô Gloriosissima totius vniuersi Imperatrix, vt die illo, quo te gloriosè in cœlis assumptam terrestris colit Ecclesia, ex hoc itidem translatus exilio, te à Sacrosancta Trinitate Reginam inauguratam contueri, & supplex venerari merear in supernorum Ciuium Hierarchia. Sum equidem ob peccata centies mille Myriadibus tanta, quam à te, O Cælitum & Mortalium dignissima Regina, postulo, indignissimus gratia; verùm quod deest egestati meæ, suppleat Filij tui meritum, & compenset Misericordia tua, quæ altitudinem profunditatem, longitudinem, & latitudinem ignorat, & Filij tui infinitæ benignitati coniuncta, est fons inexhaustus omnium bonorum, quæ à nobis vspiam possunt sperari.

Petitio humilis ad Virginem.

Permitte demum, obsecro, O Clementissima Patrona, & summa Benefactrix mea, vt Sancti Gregorij Nazianzeni verba in mentis gratæ indicium, ac vicem ex ore meo dignè, nec sine fructu, & energia depromam:

O Ter Beata Mater; O lux Virginum,
Quæ templa cæli lucidissima incolis,
Mortalitatis liberata sordibus,
Ornata iam Immortalitatis es Stola:

In Tragœdia quæ inscribitur Christus patiens.

Meis benignam ab alto aurem exhibe verbis,
Measq;. Virgo, suscipe obsecro preces:
Nam solus est honor hic tibi à mortalibus,
Quæ facta Verbi Mater es diuinitus:
Confisus vnde verba persoluo tibi.
Plexamq; de prato Coronam, florido
Tibi offero, Regina, quòd me plurimis
Dignata quondam gratijs, varijsq; adhuc
Me liberas semper calamitatibus,
Multisq; defensas ab aduersarijs,
Tam qui videntur, quàm videri qui haud queunt.
Me flecte tandem, quomodo in vita auctior
Virtute fiam, teq; semper Præsidem
Vitæ meæ ac demum benignam ac sedulam
Habeam Aduocatam Filio coram tuo,
Cum cæteris charis Deo Virgunculis.
Ne me ergo tradier finas tortoribus,
Aut perditori hominum fieri ludibrio;
Adsiste. & à tenebris, & igne libera:
Fac vt fide, tuaq; saluer gratia;
Per te ex Deo nouis profecta est gratia;
Quare hunc Hymnum tibi pango, Charisterion:
Salue Puella, gratiosa Mater, &
Virgo omnium Castissima, & Pulcherrima,
Exercitibus præstantior cœlestibus.
Regina Mundi, Gaudium Mortalium;
Semper benignam te exhibe Mortalibus,
Mihiq; sis salus vbiq; maxima,
Nunc & per infinita sæcula,

AMEN.

DEO TRINO ET VNI, IESV CHRISTO, Domino nostro, & eius dignissimæ Matri labor hic noster perpetuò nuncupatus esto.

Saluo semper in omnibus Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Iudicio & Censura.

FINIS.